perſeverat, numquam illius pœnitens. Hic enim uſque ad inferos peccatum deducit; quia in inferno etiam exiſtens, in illa eadem mala voluntate perſiſtit, in qua moriens vitam finivit. Sed hujuſmodi hominis, Dei miſericordia obliviſcitur, quoniam juſtum eſt, ut Dei miſericordia obliviſcatur illius, qui dum hic inter vivos ageret, Dei juſtitiæ oblitus eſt. Hic talis à facie Dei projectus eſt; quoniam ſpes veniæ jam ab eo ſublata eſt, obſtinatione illius ita exigente. Projicitur etiam à facie Dei, qui de illius miſericordia diffidit. Cain enim, quia Dei benigniſsimam & largiſsimam miſericordiam non agnovit, dixit: (*Gen.* 4.) *Major eſt iniquitas mea, quam ut veniam merear.* Et quia de Dei miſericordia diffidit, veniam peccati non ſperans, ideo hæc ipſa venia denegata eſt; propter quod, poſtmodum ait: (*Ibidem.*) *Ecce ejicis me à facie tua.* Juſtum eſt ut qui regis faciem non reveretur, faciem illius non videat. Juſtum eſt, ut qui Deum non credit miſericordem, miſericordiam illius non experiatur. Conſentaneum rationi eſt, ut qui veniam non ſperat, eam non aſſequatur. Non enim fieri poteſt ut veniam impetret, qui manet in peccato, & nova veteribus addit. Manet autem in peccato, & tali quod vere eſt in Spiritum Sanctum, qui de venia deſperat: quo fit, ut juxta ſententiam Salvatoris, numquam remittatur. Nam quia remiſsio peccatorum opus eſt Spiritus Sancti, vere dicitur peccare in Spiritum Sanctum, qui credit Deum non poſſe, aut non velle remittere peccata. Hujus ergo peccatum quia in Spiritum Sanctum eſt, numquam remittetur. Et ſic peccans à facie Dei projectus eſſe dicitur: quia illi miſericordia denegatur, eo quod ille miſericordiam Dei non agnovit. David ergo quia in Dei miſericordia confidit, petit ne ſpe ſua fruſtretur, dicens: *Ne projicias me à facie tua, & Spiritum Sanctum tuum ne auferas à me.* Ac ſi diceret: Ne deneges mihi miſericordiam tuam: quoniam ego miſericordiam tuam agnoſco, eamque magnis præconiis effero. Non deneges mihi peccati veniam, quoniam ego te poſſe peccata remittere credo, & in tua miſericordia confido. Non auferas ergo á me Spiritum Sanctum: quoniam ego in Spiritum Sanctum non peccavi; ego enim non ſum ut Cain: quoniam ille majorem putavit iniquitatem ſuam, quam tuam miſericordiam. Ego autem, & ſi magnum eſſe agnoſcam peccatum meum, tamen multo majorem ſcio eſſe tuam miſericordiam. Peccata mea multa eſſe ſcio, quæ tamen numerari poſsint, at miſericordiarum tuarum ſcio nullum eſſe numerum. Cum ergo in te confidam, miſericordiam tuam agnoſcam, numquam de venia deſperem, ne quæſo eam mihi deneges, ſed potius gratiam infunde, qua vitam æternam conſequi valeam per merita Jeſu Chriſti filii tui. Qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XVIII.

Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & ſpiritu principali confirma me.

DAvid peccatum ſuum agnoſcens, tam multas pro eo lachrymas fudit, tamque perpetes, ut nec comedens, nec bibens, nec cubans, neque ſtans, neque aliud aliquid agens, á fletu umquam ceſſaverit. Cum enim edebat, cinerem tamquam panem manducabat. (*Pſal.* 110.) Cum bibebat, poculum ſuum cum fletu miſcebat. (*Pſal.* 6.) Cum ibat cubitum, lavabat per ſingulas noctes lectum ſuum, & lachrymis ſuis ſtratum ſuum rigabat. (*Pſal.* 37.) Denique ipſemet ait, quod dolor ſuus in conſpectu ſuo fuerit ſemper. Ne ego perpetuo mœrore confectus deficere contingat, lætitiam conſolantem petit, dicens. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Non venenatas lætitias petit, quales ante habuit, cum de male geſtis lætabatur, & exultabat in rebus peſsimis. Non vana gaudia quærit, quæ de mundi vanitate habentur, quia horum extrema ſemper luctus occupat, nec ſolum extrema, ſed media etiam; quoniam riſus dolore ſæpiſsime miſcetur. Gaudium, quod nemo poſsit tollere ab illo niſi Deus, qui ſolus poteſt dare, hoc ipſum ſolum petit David, ideo ait: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Non qualemcumque petit lætitiam, ſed eam ſolum, quam efficit ſalutare Dei. Sic enim accipiendus eſt genitivus ille ſalutaris, ut videlicet non poſſeſsionem, ſed efficientiam denotet. Ita, ut ſit ſenſus: *Redde mihi lætitiam, quam ſalutare tuum efficiet: fac me participem illius lætitiæ, quam per ſalutare tuum omnis juſtus habebit.* Salutare Dei eſt Chriſtus, qui ſalutem humani generis in medio terræ operatus eſt. Hoc ſalutare ſibi & toti generi humano dari in (*Pſal.* 84.) petebat, dicens: *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam, & ſalutare tuum da nobis.* Sciebat Deum in carne venturum, per cujus manus, ſalus habenda eſſet; ideo petit, ut Deus in hoc ſuam circa nos miſericordiam oſtendat: quod Chriſtum filium ſuum ad noſtram omnium ſalutem nobis donare dignetur. Non ſolum oſtendere, prout Judæis, qui eum crucifixerunt, oſtenſus eſt, non etiam datus, quoniam illius in ſe ſalutem experti non ſunt. Hoc ſalutare omnes nos lætos efficit, vitam nobis reſtituens, quam nos per peccatum amiſeramus. Peccante enim Adam, non ſolum corporis, verum etiam animæ vitam amiſit. In ea enim hora, qua de cibo vetito guſtavit, animæ vitam perdidit, & ad corporis mortem eſt damnatus. Ex hac autem duplici morte maxima nobis oborta eſt triſtitiæ cauſa. Quis enim niſi demens ille fuerit, non dolet, non vehementer triſtatur, cum magnum aliquod bonum ſe omiſiſſe cognoverit? Cum autem vita magnum bonum ſit, fieri nequit, ut qui ad mortem damnatus eſt, non triſtetur. Nam ob ſolam hanc cauſam qui ſe morti propinquum putat, triſtatur: quia bonum, quod ardenter amat, citiſsime ſe amiſſurum putat. Hanc ego etiam præcipuam cauſam crediderim, quod omnes nos flemus, cum ex utero matris emergimur, videlicet, quia inſtigante natura ſentit quiſque, quanta ſint bona quæ amiſit, & quanta ſunt mala quæ imminent. Duplici ergo ex cauſa omnes triſtamur, de vita ſcilicet animæ, & vita corporis, quas per peccatum amiſimus. Sed pro hoc duplici mœrore, Chriſtus ſervator noſter duplicem nobis reddidit lætitiam, bona quæ amiſimus reſtituens, vitam ſcilicet animæ & corporis. Vitam animæ reſtituit moriens, corporis vitam, á mortuis reſurgens. In prima liberamur à culpa, per ſecundam eruimur à pœna. Et per hoc, duplicem conſequuti ſumus lætitiam. Una eſt, quod á peccato liberamur, altera eſt, quod ad corporis immortalitatem aliquando perventuros nos ſperamus. Hanc lætitiam Deus pater per filium ſuum ſe nobis daturum promiſit, quemadmodum Propheta (*Pſal.* 11.) teſtatur, dicens: *Propter miſeriam inopum & gemitum pauperum, nunc exurgam, dicit Dominus. Ponam in ſalutari, fiducialiter agam in eo.* Verba hæc patris cœleſtis ſunt, qui auditis gemitibus humani generis, quod in peccatis jacens gemebat, ſe daturum conſolationem decernit, ideo ait: *Nunc exurgam.* Ac ſi diceret. Ego adjuvabo, ſuccurram, conſolabor eos. Qualiter autem ſit conſolaturus, expreſsit, ſubjungens: *Ponam in ſalutari.* Verum quid ponet, non expreſsit, ſed ſubintellegitur ex illis quia præceſſerunt. Contra gemitum ponet lætitiam,

contra paupertates, divitias ſpirituales. Quid poſſet ſalutare Dei ponere, niſi ſalutem? Prima ergo lætitia eſt de liberatione à peccato. Et hæc maxima. Nam qui in aliquo duriſsimo & fortiſsimo carcere captivus tenebatur, ab aliquo crudeliſsimo hoſte, ſi poſtea carcere fracto, vinculis diſruptis, hoſte invito, immo etiam devicto, liber fuerit inde eductus, mirum in modum exultat. Omnes homines quamdiu ſub peccato vivebant, captivi tenebantur à dæmone carcere teterrimo, & tenebroſo incluſi. Nam beatus Paulus in poſteriore epiſtola ad Timotheum (*cap.* 2.) de diabolo loquens, ait: *A quo captivi tenentur* (haud dubio peccatores) *ad ipſius voluntatem.* Sic captivi tenentur, ut eis pro libito dæmon utatur. Carcere obſcuriſsimo ſunt incluſi: quia denſiſsimis ignorantiæ tenebris laborant. Eam miſeram ſuſtinent ſervitutem, quam populus Iſrael in Ægypto paſſus eſt. Serviebat populus in palea, luto, & latere, & ſervienti panis non dabatur. Omne maſculinum interfici jubebatur. Et (quod his omnibus acerbius eſt) Deum ſuum colere, populus non ſinebatur. Hæc omnia generi humano ſub peccato exiſtente contigere. Serviebat ſiquidem in palea vanæ ſuperbiæ, in luto & cœno luxuriæ, & in latere duræ & tenacis avaritiæ. Omne maſculinum interficitur: quia ſi quod propoſitum bonum & virile inſurgit, ſtatim dæmon occidere tentat, muliebre autem & fragile, hoc nutrit & fovet. Deum colere non ſinit: quia holocauſtum Deo acceptum non offert, diabolo dignus. Sed in hac ſervitute manens, ſic captivus tenebatur, ut niſi ſanguine Chriſti ab eo eripi non poſſet. Quemadmodum enim in quibuſdam animalibus contingit, quæ ſic ſtringunt aliquid intra ſe incluſum, ut niſi fractum fuerit, á ſe non dividatur, nec dimittunt illud quod intrinſecus clauſum tenent. Si autem miſſum fuerit oleum ſtatim diſſolvitur. Hoc enim in polypo me expertum aliquando fuiſſe memini. Sic enim petræ alicui hæret, & rem quam capit ita fortiter ſtringit, ut etiam ſi in partes ſcindatur, numquam tamen ab eo quod ſemel comprehendit, divellatur. Ad hunc modum, diabolus humanum genus tenebat, nec volebat dimittere. Tanta enim aviditate illud poſsidebat, ut potius ſe ſcindi permitteret, quam genus humanum, quod captivum tenebat, liberum abire ſineret. Sed Dominus Jeſus Chriſtus pientiſsimus ſervator noſter ſanguinem ſuum quaſi oleum miſericordiæ fudit, & per ipſum nos liberavit. Sic ergo liberati, omnes lætos nos eſſe oportet, & tanto magis exultare, quanto magis acerbo & duro carcere tenebamur incluſi, & quanto à magis crudeli hoſte tenebamur captivi. Sic etiam Pharaone mortuo cum toto exercitu ſuo populus Iſrael videns ſe liberatum á tyrannide Pharaonis & ſervitute Ægyptiaca, magna cum lætitia cantare cœpit, & dicere: (*Exod.* 15.) *Cantemus Domino, glorioſe enim magnificatus eſt.* Et Maria propheriſſa ſoror Aaron ſumpſit tympanum in manu ſua, egreſſæque ſunt omnes mulieres poſt eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat, dicens: *Cantemus Domino, glorioſe enim, &c.* Propter quod David (*Pſal.* 99.) ad hanc lætitiam invitat, dicens: *Dominus regnavit, exultet terra, lætentur inſulæ multæ.* Univerſa terra, & omnis orbis, qui ſubjectus antea erat ſub dominio diaboli, nunc devicto dæmone, & nobis ab ejus tyrannide liberatis, Deo ſubjicitur creatori, ut jam dæmone ejecto, ſolus Deus in homine regnet. Et ob hanc cauſam terra ad exultationem, & inſulæ ad lætitiam invitantur. Terræ nomine continentem denotavit, propterea quod intra inſulas eam diſtinguit. Inſulæ, omnes nos quamdiu hic ſumus, dici poſſumus: quoniam inſulæ in medio mari poſitæ ſunt, & nos in hoc mundo, tamquam in medio mari conſtituti, variis cogitationibus, variiſque affectibus, quaſi variis hinc inde tundimur fluctibus, & ob hoc, periculo ſubjacemus, ne forte mare nos aliquando ſubruat, & ſorbeat. Terra continens, quæ longe ab hoc periculo abeſt, eſt gloria cœleſtis, quæ extra omnem aleam jam conſtituta eſt. Quod ſi hoc non placet, dicamus nomine terræ, totam hanc Eccleſiam militantem ſignificare, quæ tuta vivit, & abſque ulla formidine ſecura: quoniam & ſi percutitur, numquam frangitur, ſi tunditur fluctibus, numquam ſubruitur. Nam & ſi particulare aliquod ejus membrum aliquando pereat, ipſa tamen tota numquam peribit. Exultet ergo terra, lætentur inſulæ multæ. Ac ſi expreſsius diceret. Eccleſia tota exultet, & multæ animæ lætentur, eo quod devicto dæmone, ab ejus tyrannide liberatæ, Deo regnanti ſubjiciuntur. Tota Eccleſia de Chriſti reſurrectione lætari admonetur, & merito quoniam per Chriſti mortem & reſurrectionem ipſa Eccleſia ſic mundata eſt, ut multo clarior & pulchrior fieret, & coram Deo appareret. Verum hoc admonere oportet, quod ait, inſulæ multæ, & non dixit, inſulæ omnes, quia non omnes de incarnatione, & beneficio paſsionis Chriſti lætabuntur. Qui bene vixerit, & Dei præceptis obedierit, incarnationem Dei, ejuſque paſsionem ſentiet in ſolatium, & in remedium. Si vero quis male vixerit, & Dei præcepta contempſerit, de Chriſti paſsionis beneficio lætari minime poterit, ſed maxima triſtitia abſorbebitur: quoniam tantum ſibi oblatum beneficium contempſit, & illo ad ſuum profectum uti neſcivit. Eadem ergo Chriſti incarnatio, atque ejus victoria, quam per ſuam paſsionem acquiſivit, ſicut juſtis materiam lætitiæ præbent, ita peccatores damnatos maximo mœrore conficiunt. Multas ergo inſulas ad lætitiam invitat, non omnes: quia non omnes obediunt Evangelio, non omnes credunt Deum incarnatum, non omnes credunt eum paſſum fuiſſe, nec paſsione ſua dæmonem viciſſe. Quo fit, ut qui victoriam non agnoſcunt, de ejus victoria lætari non poſsint; qui eum regnantem non credunt, de ejus regno non exultent, qui ſe à diaboli tyrannide per Chriſtum liberatos non agnoſcunt, de hac liberatione non gaudeant. David autem, qui agnoſcebat Chriſti incarnationem atque ejus paſſionem, & per illam de dæmone habitum triumphum, deſiderat ſe hujus lætitiæ participem eſſe, velletque inter multas illas inſulas connumerari, quæ de Chriſti victoria lætantur, ideo ait: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Ac ſi diceret. Fac me de remiſsione peccatorum certum: quoniam hoc ipſo audito, maxima lætitia perfundar, fac ut ſicut de peccato doleo, ita de remiſsione gaudeam. Acerbo dolore premor, quia te offendi; fac ut nimio gaudio exultem, quia mihi condonaſti peccatum. Sicut enim vehemens eſt dolor in corde pœnitentis: ita maxima eſt lætitia cordis in eo, cui peccatum jam eſt remiſſum. Non dubito quin Magdalenæ lachrymæ, quibus pedes Chriſti rigabat, verſæ fuerint in lætitiam ad vocem Chriſti dicentis: (*Luc.* 7.) *Remittuntur tibi peccata tua.* Erantque tunc ſimul ignis & grando, lætitia & triſtitia in eadem ſede morabantur. Dolebat ſe peccaſſe, ſed pœnituiſſe gaudebat. De peccato triſtabatur, de remiſsione peccati lætabatur. Contendunt itaque inter ſe lætitia & triſtitia, & ſi te judice bellum ageretur, neſcires quem cui præferres. Lætitia tamen hoc habet victoriæ ſignum, quod triſtitiam arenæ cedere cœgiſſe videtur. Nam triſtitia intra cordis tabernaculum ſe continere non valens, per oculos quaſi per portas exire compellitur. Lætitia vero, quia totam occupaverat domum, in corde velut victrix ſe continet, nullam ſui partem foris eſ-

tus non eſſet. Sunt etiam plane ſine difficultate, quia donant ſuavitatem. Jugum enim ejus ſuave eſt, & onus ejus leve. (*Matth.* 11.) Quamquam enim ipſa virtutum initia dura, & aſpera videantur, progreſſus tamen ſuaves ſunt. Propter quod ſuſpitio mihi non parva oboritur, David tunc viam virtutis incepiſſe, quoniam dixit: (*Pſal.* 99.) *Propter verba labiorum tuorum, ego cuſtodivi vias duras.* Duræ tunc videbantur: quia ſolum in limine erat, ſola initia noverat; quoniam poſtea cum jam proficiebat, dicebat: *Viam mandatorum tuorum cucurri, cum dilataſti cor meum.* Cum dilataſti (inquit) hoc eſt, cum me charitate affeciſti, quæ mentis eſt latitudo. Tunc enim charitate levigante viarum difficultatem, viam mandatorum tuorum cucurri. Non enim poſſet viam currere, ſi cor ejus arctaretur peccatorum anguſtiis. Hæ ſunt viæ Domini, per quas & ipſe venit ad nos, & nos ducit ad ipſum. Quoniam omnes qui ad Deum accedunt, aut illos Deus amore ad ſe allicit, aut timore venire compellit, hos per viam miſericordiæ illos per viam juſtitiæ ducit. Verum hic admonendum cenſui, ut videat quiſque quantum ſit hoc docendi munus, ad quod exequendum, nullus qui peccatis infectus fuerit, dignus habetur. Nam David ut doceat vias Domini, peccata prius ſibi remitti petit, triplicem ſpiritum poſtulat, videlicet ſpiritum rectum, Spiritum Sanctum, ſpiritum principalem. Spiritum rectum petit: qui recta via incedere doceat: Spiritum Sanctum, ut auditores Sanctos, & Dei amore ardentes faciat: Spiritum principalem poſtulat, ſive (ut Hieronymus tranſtulit) potentem, ut adverſus omnes tentationum incurſus conſtantem & infractum ſemper habeat animum: ita, ut nec minis terreatur, nec numeribus flectatur, nec dejiciatur adverſis, nec ullis honoribus efferatur, aut inſoleſcat. Nam hæ ſunt duæ validiſsimæ machinæ, quibus prædicatores oppugnantur ſemper, expugnantur ſæpe, blanditiæ, ſcilicet, & terrores. Hi timore concutiunt animum, illæ ſpe invadunt. Hi magnitudine afflictionum mentem abſorbent, & in deſperationis barathrum injiciunt, illæ falſa quadam dulcedine, male ſecuros hos reddunt, quo facilius interficere poſsint. Adverſus utramque machinam Spiritum Sanctum adeſſe oportet, qui prædicatorem docens, ſic illum in bono confirmet, & coſtantem reddat, ut nec minis terreatur, nec honoribus, aut aliis blanditiis quibuſcumque inſoleſcat, quo minus officium prædicationis ſibi commiſſum exequatur. Eget etiam prædicator ſpiritu recto & Spiritu Sancto, ut auditores ſuos & rectos & ſanctos facere poſsit. Nemo enim dat quod ipſe non habet. Quo fit, ut qui prædicatoris nomine gaudet, & officium prædicationis uſurpat, quoniam alios docere habet, ipſe prior ſit doctus: & quia peccatores ad pœnitentiam convertere ſatagit, ipſe prius peccatorum ſuorum pœniteat, oportet. Si alios mundare debet, neceſſe eſt, ut prius ipſe mundetur. Non eſt enim poſsibile, ut qui immundus eſt totus, alium mundare valeat. Si alios in Dei amore fervidos, & ardentes facere cupit, opus eſt, ut in ſe ignem cœleſtem habeat, qui auditores fervere faciat. Nam qui fieri poteſt, ut qui frigidus eſt, aut tepidus, alios calefaciat? Quemadmodum ſi ad carbones extinctos adjungas alios ſimiles carbones, numquam accendentur; accendentur autem facile, ſi ad ignem approximes: ſic etiam qui ad ſceleratum & malæ vitæ prædicatorem tamquam ad carbonem extinctum accedit, ab eo numquam accendetur. Propter quod è contrario de Chriſto ſummo prædicatore, omniumque prædicatorum magiſtro, dicitur: (*Pſal.* 17.) *Ignis à facie ejus exarſit: carbones ſuccenſi ſunt ab eo.* Per carbones ſignificantur peccatores, aqua malæ cupiditatis extincti. Hujuſmodi carbonibus facies illorum comparavit Hieremias, dicens: (*Thr.* 4.) *Denigrata eſt ſuper carbones facies eorum.* Sed adveniens Chriſtus, hos ſuccendit igne Spiritus Sancti quo repletus erat. Hoc in Petro experiri licet, qui quoniam frigidus erat, non potuit voce ſua mulierculam unam amore Dei ardentem facere, immo potius contra mulierculæ vox tamquam ventus aquilo ad aures Petri perveniens, mentem illius gelidam fecit. At poſtquam cœleſtis ille ignis de cœlo veniens, cor ejus & linguam inflammavit, continuo prædicare cœpit, & voce ſua fere tria hominum millia in Dei amore accendit. Eſaias etiam quoniam labia habebat immunda (ut ipſemet gemens & dolens fatetur) purificatione habuit opus, antequam ad prædicandum mitteretur; propter quod mittitur unus de Seraphin, qui tollit carbonem ignis ab altari, & tangit labia ipſius & linguam, & purgat eam, eaque purgata, ſtatim mittitur ad loquendum. Quamdiu habuit labia immunda, non injungitur illi prædicationis onus. Mundantur labia ipſius, & continuo poſt dignus habitus eſt, cui prædicatio mandari debeat. Ex quibus colligimus, eum qui aliquibus peccatorum ſordibus fœdatus eſt, indignum eſſe ad prædicationis officium. Nam ſua mala vita multum derogat doctrinæ quam prædicat. Eadem enim agit quæ damnat; quo facto, anſam ſuſpitionis non parvam auditoribus præbet, vera non eſſe quæ ab illo fuerunt edocti. Ad quod, hoc argumento movebuntur, quod videlicet non eſt vero ſimile aliquem ita deſipuiſſe, ut aliis bene conſulat, ſibi autem male. Si bona ſunt quæ docet, cur non ea facit? Si bona ſunt quæ facit, cur non ea docet? Itaque quocumque ſe vertat, malus eſſe convincitur, aut male vivens, aut male docens. Sed quia magis ſemper homines oculis, quam auribus credunt, hinc eſt, quod male viventis doctrina quamlibet bona, contemnitur. Alioqui ſi non magis crederetur vitæ quam verbis: numquam nos Chriſtus admonuiſſet facere quæ dixerint nobis ſcribæ ſuper cathedram ſedentes, & ab eorum operibus abſtinere. (*Matth.* 23.) Quia vero Chriſtus ſervator noſter animadvertit longum iter eſſe per præcepta, breve & efficax per exempla, ideo nos admonere dignum ducit, ut quæcumque dixerint nobis; faceremus, ſecundum autem opera eorum, qui nos docent, facere contemneremus. Plato, & Ariſtoteles, & omnis in diverſum itura ſapientium turba, plus ex moribus, quam ex verbis Socratis traxit. Plus etiam Apoſtoli & Chriſti diſcipuli ex ejus exemplis & factis numquam ſatis laudatis hauſerunt, quam ex illius verbis quamlibet ignitis. Propter quod Chriſto, qui ſuorum diſcipulorum profectum ambiebat, prima cura fuit facere, huic proxima, docere. Cujus enim vita deſpicitur, reſtat, ut ejus prædicatio contemnatur. Nam qui male vivit, niſi effrons ille ſit, non audebit alios de vita mala reprehendere, ne dicatur illi quod Paulus ait: (*Rom.* 2.) *In quo enim judicas alterum, teipſum condemnas.* Et iterum ait. *Qui ergo alium doces, teipſum non doces? Qui prædicas non furandum, furaris? Qui dicis non mœchandum, mœcharis?* Propter quod gentilis quidem Sapiens dixit.

Turpe eſt doctori, cum culpa redarguit ipſum.

Et Poeta quidam ait:

Loripidem rectus irrideat; æthiopem albus.

In cujus ſignum Chriſtus Redemptor noſter judæis accuſantibus adulteram dixit: (*Joan.* 8.) *Qui ſine peccato eſt veſtrum, primus in illam lapidem mittat.* Quibus verbis innuit, eum, qui peccatis imbutus eſt, non eſſe talem, qui alios merito reprehendere poſsit. Lapides enim contra alium mittit, qui illum de peccato reprehendit, ſed hos lapides nullus niſi qui liber eſt á peccato mittere permittitur. Ex his ergo omnibus colligimus, eum qui longe aliter ac docet & prædicat in hominum conſpectu vivit, graviter peccare, eo quod mala vita interveniente, doctrina, quæ probanda erat, deſpicitur. At non ita cenſeo de prædicatore, cujus malitia latet. Is enim prædicans, ſicut nullo æterno præmio ob ſuam prædicationem dignus eſt, ita nec pœna æterna: quoniam peccatum ſuum cum lateat, nulla ex parte doctrinæ nocet, quo minus vera eſſe credatur. David autem non contentus declinare á malo, ſed etiam bonum facere cupiens, Spiritum Sanctum & principalem primo petiit, deinde ſe docturum vias Domini ſpondet, dicens: *Docebo iniquos vias tuas.* Sed quid utilitatis ex hac doctrina ſequatur, audiamus: *Et impii* (inquit) *ad te convertentur.* Doctrina ſiquidem ſalutaris hoc habet, quod peccatores ad pœnitentiam convertit. *Verba mea quaſi ignis ardens*, dicit Dominus: (*Hier.* 23.) *& quaſi malleus conterens petras.* Non hoc facit philoſophorum omnium doctrina: quoniam & ſi virtutes aliquas doceant, non tamen omnes, immo ex eis maximas ignorarunt, fidem namque ſpem & charitatem ignoraverunt, quapropter numquam philoſophorum doctrina docuit Deum cognoſcere, & ad illum converti. De his dicitur apud virum ſapientem. (*Eccle.* 10.) *Labor ſtultorum affliget eos, qui neſciunt ire in civitatem.* Pro veritatis inquiſitione impenſe laboraverunt, ſed quia non habuerunt ducem itineris, & humana inveſtigatione arbitrati ſunt ſe poſſe comprehendere ſapientiam, erraverunt in inaquoſo, & viam civitatis habitaculi non invenerunt. (*Pſal* 16.) Melius ergo eſt docere vias Domini, quam omnes philoſophorum vias, & quam omnes mundi ſcientias. Magna quippe utilitas, qua major ulla eſſe non poteſt, peccatorum ſcilicet ad Deum converſio, per quam ſervorum Dei numerus augetur, & angelis in cœlo exiſtentibus magnum accreſcit gaudium. Quanta ſit hæc utilitas, vel ex eo conjici poteſt: quod ob nullam aliam rem Deus de cœlo in hunc mundum deſcendit, quam ut peccatores ad pœnitentiam vocaret, magnum ſe lucrum facturum exiſtimans, ſi eos ad pœnitentiam converteret. Merito ergo David ut Deo miſericordiam perſuadeat, hac tam magna & opulenta utilitate argumentatur, dicens: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Quotquot à via veritatis erraverunt, vias Domini ignoraverunt. Hoc enim teſtantur omnes qui in inferno ſunt, dicentes: (*Sapi.* 5.) *Laſſati ſumus in via iniquitatis & perditionis, ambulavimus vias difficiles, viam autem Domini ignoravimus.* Vias difficiles ambulant peccatores: quoniam multis ſe exponunt periculis, multos ſuſtinent labores, ut deliciis fruantur. De avaro quidam pulchre dixit:

Impiger extremos currit mercator ad Indos.
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa per ignes.

Quid non facit ſuperbus honores ambiens? quanta patitur hypocrita propter ſolam vulgi inutilem opinionem, quam de ſe bonam habere cupit? Qui carnis illecebris ſervit, nullum non movet lapidem, ut ad optatum perveniat finem. Denique omnes peccatores, ut inique agant, laborant. Sunt etiam præter labores, difficultates aliæ non parvæ in omnibus peccatorum viis. Sunt enim viæ illorum tenebroſæ, Salomone dicente: (*Prov.* 4.) *Via impiorum tenebroſa, neſciunt ubi corruant.* Quanta autem ſit hæc difficultas, illi ſoli norunt, qui noctu abſque ulla ſtellarum luce aliquando ambulaverunt. Sunt viæ lubricæ, quia pedes non continent, nam ex uno peccato venitur ad alterum, & ex hoc iterum ad aliud. Propter quod David peccatoribus Prophetans ait: (*Pſal.* 34.) *Fiant viæ illorum tenebræ, & lubricum.* Et ut nihil difficultatis deſit peccatorum viis, ſunt lapidibus viæ illorum complantatæ, ut Sapiens ait: *Via peccantium* (inquit *Eccle.* 21.) *complanata lapidibus, & in fine illorum inferi, & tenebræ, & pœnæ.* Finem difficilimum adjunxit, quo vias peccatorum à vitiis Dei diſcerneret. Nam cum initia harum ſint aſpera, media ſunt plana & ſuavia, finis vero ſuaviſsimus. Cum ergo tot tantæque ſint difficultates in viis peccatorum, merito illi, qui in inferno ſunt, dicunt ſe, cum hic viverent, vias difficiles ambulaſſe. Si autem quærat aliquis, cur per has viarum aſpredines pergere placuit? *Viam* (inquiunt) *Domini ignoravimus.* Cauſa enim, quia aliqui in peccatis ſuis perſiſtunt, nullam prorſus ſuæ conſcientiæ aut vitæ futuræ rationem habentes, eſt quia Dei vias ignorant. Quidam namque juſtitiam Dei agnoſcentes, illius miſericordiam ignorant. Alii rurſum ſic miſericordiam agnoſcunt, ut juſtitiam Dei prorſus ignorent. Quacumque illarum ignorata, neceſſarium eſt á vera & recta via declinare, & per vias peccatorum difficiles ambulare. Sunt enim quidam, qui ſciunt Deum eſſe juſtum, neſciunt tamen illum eſſe miſericordem. Tales fuerunt Cain & Judas proditor. Tales ſunt omnes, qui de Dei miſericordia diffidunt. Propter quod erraverunt, & veniam peccatorum non invenerunt. Sunt etiam alii, qui Dei miſericordiam agnoſcentes, juſtitiam illius neſciunt, tamen divinæ miſericordiæ credunt, ut nullam putent fututam juſtitiam, nullam peccatorum punitionem. Maxima peccantium portio ob ignorantiam hujus viæ declinat à via recta. Pauci ſunt, qui de divina miſericordia diffidant, at multi, quæ juſtitiæ illius obliviſcuntur. Qui utramque viam optime noſcit, errare non poterit. Qui bene noſcit Dei miſericordiam ſimul & illius juſtitiam, ſtatim ad Dominum convertetur, illum ſequetur, poſt illum ibit, illique ſemper adhærebit. Hæc ſunt illa pretioſiſsima ſponſi unguenta, quorum odor ſponſa ad ſe trahit, & poſt illum currere facit, dicens: (*Cant.* 1.) *Curremus* (inquiunt adoleſcentulæ) *in odorem unguentorum tuorum.* Unguenta hæc, ſunt miſericordia Dei, & juſtitia illius. His unguentis Deus omnes peccatores ungit, & illorum peccatis medetur. Odor horum unguentorum eſt fama divinæ miſericordiæ, illiuſque juſtitiæ. Adeo namque ſparſus eſt odor horum unguentorum, ut tota militantis Eccleſiæ domus ex hoc odore impleta ſit. Fracto namque alabaſtro ſui corporis in paſsione, tunc effuſum eſt unguentum tale, quod ſolum noſtrorum peccatorum vulnera ſanare ſufficit. Ibi effuſa eſt miſericordia, Deo pro inimicis moriente. Ibi effuſa eſt juſtitia, debita noſtra nobis remittens: quia non gratis ea remiſit, ſed pretio ſanguinis Chriſti prius ſoluto. Quæ enim Chriſtus non rapuit, tunc pro nobis ſolvit. Horum ungentorum odor eſt ſuaviſsimus. In odorem horum ungentorum currunt omnes quotquot ad Deum veniunt. In odorem miſericordiæ divinæ venit Chananea, miſerationem Dei expectans. (*Matth.* 15.) In odorem miſericordiæ ſimul & juſtitiæ venit Magdalena, & ſtans retro ſecus pedes Domini, lachrymis rigat pedes ejus, & capillis tergit. (*Luc.* 7.) In odorem horum unguentorum Petrus flet amare, ſperans ſui peccati veniam. (*Luc.* 22.) Si horum unguentorum odorem non percepiſſet latro in cruce, non dixiſſet Chriſto, *Memento mei dum veneris in regnum tuum.* Quia vero divinæ miſericordiæ odorem ſuaviſsimum perceperat, ideo velociſsime poſt eam cucurrit. Eſt enim adeo ſuavis odor horum unguentorum, ut omnes ad ſe trahat. *Cum exaltatus* (inquit *Joan.* 12.) *fuero à terra, omnia traham ad meipſum.* Qui ergo non tra-

oſtendens. Hanc lætitiam in ſe ipſis experiuntur ii, qui magno peccatorum pondere preſsi, peccata ſua poſtea cognoſcentes, atque dolentes, cum jam probe & plene (ut decet) ea in aurem confeſſori dixerint, & ſe coram eo accuſaverint, ſe hoc feciſſe nimium lætantur, & velut qui ſarcinam aliquam nimium gravem à ſe rejecerunt, leves ſe eſſe cenſent. Dulciſsimum enim eſt cum præteritæ miſeriæ memineris, agnoſcere te eſſe jam ab illa ereptum. Nam (ut quidam ait) dulce loqui miſeris, vetereſque revolvere quæſtus. Hanc lætitiam David alibi petebat, dicens: (*Pſal.* 85.) *Miſerere mei Domine, quoniam ad te clamavi tota die, lætifica animam ſervi tui.* Poſtquam petierat miſericordiam, de miſericordia impetrata lætificari ſe petit. Et hoc eſt quod nunc ait: *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui.* Verum quia homo inconſtans eſt, & niſi Deo auctore perſiſtere nequit, ne poſt adeptam hanc tam ſuavem lætitiam, iterum in peccata relapſus, eam amittat, petit hujus lætitiæ confirmationem, dicens: *Et ſpiritu principali confirma me.* Infeliciſſimum quidem omnium genus (ut quidam ait) eſt fuiſſe felicem. Acerbior multo eſt triſtitia, quæ lætitiam ſequitur, quam quævis alia, quæ alteri ſuccedit triſtitiæ: quoniam qui malis aſſuetus eſt, minus ea ſentit, & facilius ſuſtinet. Nam ſicut bonorum aſsiduitas illa vileſcere facit: ita malorum frequens patientia, ea tolerabiliora reddit. Quo fit, ut triſtitia, quæ lætitiæ ſuccedit, multo amarior putetur. Propter quod David petit, ut ſemel reddita lætitia, non auferatur, dicens: *Et ſpiritu principali confirma me.* Ac ſi diceret: Firmum, & in bono propoſito ſtabilem me fac. Agnoſco meam inconſtantiam, eam jam expertus ſum, ſcio hominem eſſe *tamquam folium quod à vento rapitur.* (*Job* 13.) Ventus dæmonis tentationem ſæpiſsime in ſcriptura ſacra ſignificat. Tot ergo ventorum flatibus mens humana movetur, quot tentationes patitur. Ab una parte flante ira turbatur. Quod ſi ex adverſo ſpiraverit inepta lætitia, diſſolvitur. Ex alia parte ſpirat avaritia, & ad appetitum terrenorum rapitur. Aliquando proſpera cum in altum ſublevant, adverſa iterum ad infirma dejiciunt. Tam inſtabilis eſt, ut niſi tenente Deo, ad omnem venti flatum tamquam folium moveatur. Ego enim (David dicere poſſet) in me ipſo expertus ſum, quoniam aliquando me ſtare putabam, & cecidi, me quietum & firmum credebam, & tamen pedes mei moti ſunt. Ipſa ergo experientia me docuit, quod hominis quamlibet juſti gloria, ſit tamquam flos agri. Multa ſunt pericula quibus flos objicitur, ut pereat. Vento rapitur, frigore uritur, calore & ſiccitate areſcit. Ecce qualis eſt gloria noſtra, quæ eſt tamquam flos agri: quoniam tot periculis ſubjecti ſumus, quot ſubjectus eſt flos. Quod ſi gloria noſtra eſt tamquam flos agri, qualis putas erit noſtra ignominia? Non poſſumus ergo diu ſtare, niſi Deus ſupponat manum ſuam. Ipſa firmitas & perſiſtentia in bono æque Dei donum eſt, ſicut boni operis initium. Nam non minus ſervantur Deo decimæ, quam primitiæ. Sic enim in Levitico (*cap.* 27.) ait Dominus: *Omnes decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt, & illi ſanctificentur.* Et iterum. *Quicquid decimum venerit, ſanctificabitur Domino.* Numero denario, perſeverantia in bono ſignificatur: quum omnis numerus in denario conſummatur. Antiqui enim per digitos ſupputare conſueverunt, digiti autem utriuſque manus non ultra decem ſunt. Si ultra decem eſt computandum, eoſdem digitos repetere oportebit. Totius ergo numeri plenitudinem denarius in ſe continet. Deum ergo Dominus primitias & decimas ſibi ſervaverit, myſtice nos docuit, boni operis perſeverantiam ab ipſo Deo eſſe, ſicut ejuſdem boni operis initium. Sicut enim ſufficientia ad bonum aliquod cogitandum, non ex nobis ſed ex Deo eſt: (2. *Corinth.* 3.) ita etiam divinæ diſpoſitionis eſt, non electionis humanæ, ut bono vel malo fine vita noſtra terminetur. Utrumque horum David confeſſus eſt. Ipſe enim initium boni operis tribuit Deo, dicens: (*Pſal.* 58.) *Miſericordia ejus præveniet me.* Et miſericordia ſe egere ut perſeveret, in (*Pſal.* 22.) teſtatus eſt, ſic inquiens: *Miſericordia tua ſubſequetur me omnibus diebus vitæ meæ.* Et quia hoc David agnoſcebat, ideo nunc ait: *Et ſpiritu principali confirma me.* Vel (ut Hieronymus tranſtulit) ſpiritu potenti, quo innuitur, opus eſſe magnæ potentiæ aliquem in bono ſic firmare, ut deinceps immobilis perſiſtat. Nos ergo, quos Deus poſt tranſactos quadrageſimæ luctus, poſt pœnitentiæ dolores, poſt ciborum abſtinentiam, poſt orationes, poſt multas vigilias, ad reſurrectionis dominicæ lætitiam perducere dignatus eſt, ne hac tam ſalutari lætitia peccatis noſtris exigentibus privemur, Deum orare debemus, & cum Rege David dicere: *Spiritu principali confirma me.* Sunt enim multi inimici crucis Chriſti, qui de Chriſti nomine inaniter gloriantur, Chriſtianos ſe dicentes, cum nihil minus ſint, qui toto tempore quadrageſimali pro die reſurrectionis ſuſpirant, non ut ſpiritu Chriſto reſurgenti congratulemur, ſed ut gaudeant cum mundo ad ſonitum tympani, & in bonis hujus mundi ducant dies ſuos. O perverſus temporis abuſus! Terminus bonorum operum facta eſt iſtis reſurrectio ſalvatoris, quaſi Domino reſurgente, liceat illis quicquid libuerit agere. Quod factum eſt ad vitam, iſti vertunt in mortem, à reſurrectione, quæ fuit noſtræ vitæ initium, iſti peccatores ſumunt initium mortis. Ex hoc enim tempore, ad vomitum velut canes revertuntur. Tunc enim comeſſationes & ebrietates, quæ jam antiquatæ erant, renovantur, veſtimentorum luxus revocatur, impudentiæ repetuntur, concupiſcentia hactenus refrænata tunc diſſolvitur, ut laxatis habenis, per vitia quæque diſcurrant. O inſenſati & ſtulti! jam aliquando ſapite, audite atque attendite, ut virtutem reſurrectionis dominicæ, quam non intelligitis, vel Paulo docente intelligatis. *Mortuus eſt* (inquit ille) *propter delicta noſtra, reſurrexit propter juſtificationem noſtram.* Ut nos confirmaret in fide qua juſtificamur, reſurrexit; non ut à vera & viva fide dejiceret. Ut nos juſtos efficeret, ſurrexit, non peccatores. Ut nos ad vitam repararet, reſurrexit, non ut portas mortis nobis aperiret. Hi autem inſenſati perverſe agentes (tamquam ſi Chriſti reſurrectio ſit mortis porta) qui ante reſurrectionem vivebant, vel (ut verius dixerim) vivere apparebant, ſtatim Chriſto reſurgente, ſe in mortem peccantes injiciunt. Non ſic impii, non ſic, ſed qui hucuſque planxiſtis peccata veſtra, nunc jam de remiſsione lætamini. Qui hucuſque doluiſtis cum Chriſto, nunc lætamini in Domino, & exultate juſti. (*Pſal.* 31.) Qui mortui eſtis peccatis veſtris, qui cum illo eſtis crucifixi, nunc cum illo etiam ſic reſurgite tamquam non iterum morituri: *quoniam Chriſtus reſurgens ex mortuis, jam non moritur, mors illi ultra non dominabitur.* (*Rom.* 6.) Sic etiam vos á peccatis veſtris ſurgite, ut non ultra in ea labamini. Sed quia hoc veſtra virtute præſtare non ſufficitis, divinum implorate auxilium, & dicite: *Spiritu principali confirma me.* Magna eſt Domine fragilitas mea, & tot hoſtibus, à quibus vallatus ſum, reſiſtere non poſſum: tu ergo Domine adjuva me, pone me juxta te, & cujuſvis manus pugnet contra me. (*Job* 17.) Si enim tu mihi fueris adjutor, non timebo quid faciat mihi homo. (*Pſal.* 117.) Parum dixi: quoniam & ſi conſiſtant adverſum me omnium dæmonum

caſtra, non timebo. (*Pſal.* 26.) Magna etiam Domine Deus eſt gravitas corruptionis meæ, quæ tanto me pondere premit, ut ſemper in malum pronus ſim, ſemper me ad infima appetenda incurvat, nec ſolum incurvat, ſed dejicit. Tu ergo benigniſsime Domine ſuppone manum tuam ut non cadam, & ſi ceciderim, non collidar: quia juſtus etiam cum ceciderit non colliditur, eo quod tu ſupponis manum tuam. (*Pſal.* 36.) Agnoſco etiam mobilitatem meam, quia quocumque tentationis vento flante, domus meæ conſcientiæ evertitur, eo quod nullum á ſe habet fundamentum quo firmetur. Tu ergo clementiſsime Domine funda me ſupra teipſum, qui vera es petra, ut ſic fundatus ſupra firmiſsimam petram, immobilis perſeverem: ita, ut proſpera non me ſublevent, nec adverſa dejiciant: ita, ut neque tribulatio, neque anguſtia, neque fames, neque nuditas, neque principatus, neque poteſtates, neque mors, neque denique vita, me poſsit á charitate, quæ eſt in Chriſto Jeſu, ſeparare. (*Rom.* 8.) Sicque fiet, ut jugiter permaneam in lætitia ſalutaris tui. In præſentiarum per gratiam, & in poſterum per gloriam: quam nobis præſtare dignetur Jeſus Chriſtus filius tuus, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XIX.

Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

DEUS cum ſit ſumme bonus, & totius bonitatis numquam exhauſta fontalis plenitudo, totam terram ſua bonitate irrigare cupiens, cum Spiritum Sanctum ſuum alicui tribuit, non illius ſolum, cui tribuit, proſpicit utilitati, ſed aliorum etiam multorum commodis conſulit: quibus illum per Spiritum Sanctum ſuum prodeſſe cupit. Paulus enim cum diviſiones gratiarum enumerat, eaſque omnes ab uno Spiritu Sancto proficiſci teſtatur, ait: (1. *Corinth.* 12.) *Unicuique datur manifeſtatio ſpiritus ad utilitatem.* Ad utilitatem utique ejus cui datur, & aliorum: quia & ſibi & aliis ex accepto ſpiritu prodeſt, dum vitam ſuam bene gubernans, exemplum bonæ converſationis oſtendit, ad cujus imitationem ſæpiſsime vitam ſuam alii inſtituunt, aut voce prædicat, ut ſuo ſermone edocti, alii viam veritatis, quam antea ignorabant, agnoſcant. Nam alii per ſpiritum datur ſermo ſapientiæ in eodem ſpiritu. (1. *Corinth.* 12.) Sapientia ad vitam, ſcientia vero pertinet ad doctrinam, quia ſine ſcientia nemo bene docere poteſt, nec debet. Qui ergo bene vivit, & prudenter prædicat, hic ſapientiæ & ſcientiæ donum accepit. David ergo, qui ſe ſpiritu principali confirmari petiit, ne forte tamquam inutilis reprobus haberetur, & Spiritu Sancto indignus, utpote qui in nihilo aliis ad ſalutem animæ prodeſſe poſſet, nunc quam utilitatem ſpiritu recepto poſsit præſtare, oſtendit, dicens: *Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.* Iniquos ſe docturum ſpondet, non juſtos: quoniam juſti noverunt vias Domini. Qua in re ſummum prædicatorem, & omnium prædicatorum magiſtrum imitatur, qui dixit: (*Matth.* 9.) *Non veni vocare juſtos, ſed peccatores ad pœnitentiam:* quia (ut ait ille) *non eſt opus bene valentibus medico, ſed male habentibus.* Ideo ſæpe cum publicanis & peccatoribus, quos medico egere ſciebat, converſabatur, cum illis comedens & bibens, ut inter ipſas epulas, occaſione oblata, illos doceret. Sed quid ſe docturum David ſpondeat, audiamus. *Docebo* (inquit) *iniquos vias tuas.* Doce ergo nos vias Domini, & dic, quæ, & quales illæ ſint. *Univerſæ viæ Domini* (inquit ille *Pſal.* 24.) *miſericordia & veritas.* Cum viæ Domini ſint tam multæ, ut ſint incomprehenſibiles, mirum eſt, quam brevi compendio eas omnes David concluſerit, dicens: *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Vias Domini actiones ejus accipimus, de quibus ipſemet ait: (*Eſai.* 55.) *Non enim ſunt viæ meæ ſicut viæ veſtræ.* Et iſtæ ſunt viæ illæ, quarum omnium Behemoth principium eſſe dicitur: (*Job* 40.) quia cum Deus cuncta ex nihilo condidit, luciferum priorem omnibus fecit. Quis ergo omnes has vias, hoc eſt, omnia opera Dei enarrare ſufficiat? Sed cum ad illas omnes numerandas David ſe imparem agnoſceret, intra anguſtum quemdam alveum eas omnes circunſepivit, dicens: *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas:* quia in omnibus ſuis operibus Deus ſuam miſericordiam, ſimul & ſuam veritatem effudit. Miſericordiam quidem, quia illa ex nihilo condidit. Veritatem, quia omnia ſub integritate dijudicat. Poſſumus etiam hoc aliter interpretari, ſic, ut vias Dei non creaturas ipſas, ſed adventum ejus in mundum intelligamus. Omnis autem illius in mundum viſibilis adventus, duplex ſolum eſſe creditur. Primus, cum carnem ſuſcepit. Secundus eſt, cum veniet omnes judicare, & dare unicuique juxta opera ſua. In primo oſtendit ſuam miſericordiam, quia incarnatus oſtendit viſcera miſericordiæ ſuæ, in quibus viſitavit nos oriens ex alto. (*Luc.* 1.) Deinde vivens oſtendit ſuam miſericordiam, cum ignorantes docuit, cæcos illuminavit, ſurdos fecit audire, mutos loqui, paralyticos conſolidavit, mortuos ſuſcitavit, & (quod his omnibus majus eſt) peccatores ad pœnitentiam convertit. Denique ineffabiles, & in exhauſtos miſericordiæ ſuæ theſauros aperuit, cum pro inimicis ſuis mori dignatus eſt, ut eos ſalvos faceret, & patri ſuo reconciliaret. Hoc enim ſupremæ miſericordiæ opus fuit. Vix enim (ut ait Apoſtolus *Rom.* 5.) pro juſto quis moritur. Nam pro bono forſitan quis audeat mori. Commendat autem charitatem ſuam Deus in nobis: quoniam cum adhuc peccatores eſſemus, ſecundum tempus Chriſtus pro nobis mortuus eſt. Toto ergo primo adventu, Deus miſericordiam ſuam exercuit, & exercet, & exercebit, quouſque ad judicium revertatur, in quo faciet juſtitiam, bonos præmio donans, malos dignis ultionibus puniens. Non enim tunc jam tempus ulli ad pœnitentiam indulgebit, non aliquem ultra expectabit. Nullæ tunc lachrymæ alicui ad ſalutem proderunt, ſed qualem quemque tunc invenerit, talem illum judicabit. Nullæ tunc (ut Sapiens ait *Prov.* 1.) proderunt divitiæ: quoniam judex incorruptus eſt, qui nullis muneribus flecti poteſt. Ille adventus totus in juſtitia exercenda expendetur, ſicut primus in miſericordia. Cum autem nullus ſit Dei alius viſibilis adventus, præter hos duos: quorum unus ad juſtitiam, alius ad miſericordiam pertinet, merito David ait: *Univerſæ viæ Domini miſericordia & veritas.* Audivimus jam David docentem nos vias Domini quæ ſint, exigamus ab eo, ut nos doceat quales ſint, ut ſatis promiſsioni ſuæ faciat, qua dixit: *Docebo iniquos vias tuas.* Viæ Domini rectæ ſunt: quia ſine errore ullo nos ducunt ad vitam. Nam propter hoc in alio quodam Pſalmo David appellat eas vias vitæ. *Notas mihi* (inquit ille *Pſal.* 15.) *feciſti vias vitæ.* Notas nobis Dominus fecit vias vitæ, cum nos docuit juſtitiam & miſericordiam, quibus pervenimus ad vitam. Sunt etiam pulchræ ſine ulla ſorde, & ſine ulla macula, quoniam docent munditiam. Et propter hanc cauſam David alibi ait: (*Pſal.* 17.) *Deus meus impolluta via ejus.* In virtute ſiquidem nulla poteſt eſſe immunditia, alioqui vir-

trahitur, aut poſt Chriſtum non currit, convincitur non ſentire odoris fragrantiam. Qui per vias difficiles ambulant, convincitur ignorare vias Domini. Quoniam ſi harum viarum virtutem bene agnoſcerent, fieri non poſſet, quin per illas ad Deum converterentur, quoniam (ut diximus) pulchræ ſunt ſine ſorde, planæ ſine difficultate. Et quia has Domini vias ignorant, hinc eſt, quod numquam ad requiem Dei & habitaculum illius perveniunt. Sic enim ipſe Deus juramento hanc ſententiam confirmat, dicens: (*Pſal.* 94.) *Iſti non cognoverunt vias meas, quibus juravi in ira mea, ſi introibunt in requiem meam.* Jurare ſe dicit, ut oſtendat ſententiæ firmitatem. Cum ergo averſionis à Deo, cauſa ſit ignorantia viarum Dei, conſequens eſt, ut notitia earumdem viarum, converſionem ad Deum cauſet. Magnum ergo eſt quod David ſe facturum promittit, dicens: *Docebo iniquos &c.* Docebo (inquam) alios quam bonus ſis, & quam ſuavis omnibus invocantibus te: quam juſtus in omnibus viis tuis. Rarus forte invenietur, qui melius me hoc facere poſsit: quoniam ego tamquam expertus melius docere potero. Inexpertes rerum male de illis loquuntur, contra vero experti. Nam per varios uſus artem experientia fecit. Propter quod in figura, tubæ, ad quarum clangorem caſtra Iſrael moveri debebant, argenteæ & ductiles eſſe jubentur. (*Num.* 10.) Tubæ iſtæ, prædicatores deſignant, qui auditores ad bellum contra vitia ſumendum commonent. Iſtæ tubæ argenteæ eſſe debent, propter doctrinæ claritatem. *Eloquia enim Domini, eloquia caſta, argentum igne examinatum.* (*Pſal.* 11.) Quod autem ductiles eſſe jubentur, ſignificat oportere prædicatorem prius tribulationibus percuti, ut melius mundi malitiam, experientia docente, explicare valeat. Nam melius ductiles quam fuſiles tubæ ſonant. Ideo ergo ait David: *Docebo iniquos vias tuas.* Ego quidem melius docere potero, quippe qui ſciam devia, á quibus abſtinere oportet. Docebo iniquos, ut cum peccaverint, non dejiciant animum, numquam de tua bonitate & miſericordia diffidant, & ut hoc melius intelligant, meipſum in exemplum illis proponam, peccata mea non excuſabo, ſed accuſabo, peccatorum meorum gravitate bene penſata dicam, quod cum dignus morte eſſem: tu tamen noluiſti mortem meam, ſed mihi magis peperciſti, vitam ad pœnitentiam indulſiſti. Dicam quam ſuaviter me tractaveris, me iterum receperis, gratiam donaveris, qualiter meo læto vultu tamquam ſervum gratum jam reſpicias, bona amiſſa reſtitueris, ſpiritum prophetiæ reddideris. Enarrabo denique omnia quæ à te recepero. Quo fiet, ut multi hoc bonitatis tuæ rumore ſparſo, ad te convertantur. Non eſt æquum Domine, ut multos propter meam punitionem amittas. Melius eſt, ut multos ſimul mecum lucreris, lucraberis autem, ſi mihi peccata remittas. Nam ſi hoc feceris, hanc largiſsimam tuam erga me beneficentiam aliis enarrabo, ut ſciant vias tuas, & per eas deinceps ambulare ſatagant, ut ad civitatem veri habitaculi pervenire valeant: præſtante Domino noſtro Jeſu Chriſto. Qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XX.

Libera me de ſanguinibus, Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.

QUI arborem aliquam eo quod infructifera ſit, aut malos fructus reddat ſic ex horto extirpare cupit, ut nulla in poſterum fructificandi ſit ſpes reliqua, non ſolum ramos ejus, aut truncum præſcindit, ſed radicem etiam evellere curat. Nam (ut ait Job *cap.* 24.) lignum habet ſpem ſi præſciſum fuerit, rurſum vireſcit, & rami ejus pullulant. Si ſenuerit radix ejus in terra, & in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam quaſi cum primum plantatum eſt. Omnis homo, ſive juſtus ille ſit, ſive peccator, quaſi quædam arbor cenſetur, & tali nomine in ſcriptura ſacra appellatur. Utrumque enim, hoc eſt juſtum & injuſtum, arboris appellatione Deus ſignificavit, cum per Prophetam Ezechielem loquens, ait: (*cap.* 14.) *Ego Dominus humiliavi lignum ſublime, & exaltavi lignum humile.* Quo verborum ſchemate, id ſignificatum eſt, quod alibi ipſamet veritas apertius expreſsit, dicens: (*Luc.* 14.) *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Salomon quoque de utriuſque perpetuo habitaculo, quod juxta vitæ varietatem futurum eſſe cenſet, ait: (*Eccle.* 11.) *Si ceciderit lignum ad auſtrum, aut ad aquilonem, in quocumque loco ceciderit, ibi erit.* Quilibet enim in ea erit manſione perpetua poſt mortem, in quam per mortis impulſum ceciderit. Juſtus in hora mortis ſuæ ad auſtrum cadit, peccator ad aquilonem: quia juſtus per fervorem ſpiritus decedens, ad gaudia cœli, quæ vivens ſemper quæſivit, ducitur, & peccator, qui frigore malitiæ torpuit, eo quod cum principe ſuo in lateribus aquilonis ſedere elegit, cum eodem principe ſuo in perpetuum reprobatur. Hoc lignum quale ſit, ex fructibus dignoſcitur, dicente ipſa ſumma veritate, quod non poteſt arbor mala bonos fructus facere, neque arbor bona, malos. (*Math.* 7.) Et ſicut varii ſunt fructus, ita etiam variæ ſunt radices: quoniam in illis, tota arboris virtus ſita eſt. Utriuſque arboris radix, appetitus eſt, bonæ bonus, malæ malus. Præſcinduntur aliqui rami arboris bonæ, cum videlicet juſtus aliquis bona facere deſinit, aut mala aliqua operatur. Sed quia radix in eo manſit, bona ſcilicet voluntas, ſtatim ad odorem aquæ ſpiritualis, fructum bonorum operum germinat. Cum enim de Deo loqui audierit, ad memoriam Dei bonitatem revocans, ejus ſuavitate paullulum percepta, ſtatim in amore Dei accenditur, mala quæ commiſit deplorat, novam vitam inſtituit. Radix adhuc manebat; quoniam nondum à Deo omnino receſsit. Hujus rei non oportet aliunde petere exemplum, cum Davidem Regem in manibus habeamus. Is enim peccans, præciſus eſt à Deo: nec tamen ſine ulla reviviſcendi aut germinandi ſpe. Ut enim Propheta Natham illud de peccato redarguit, mirum quomodo ad odorem illius aquæ, doctrinæ ſcilicet ſalutaris, revixit & germinavit. Statim namque peccatum agnovit, pro illo immenſas & perpetes lachrymas fudit, fecitque plurimarum virtutum comam majorem & pulchriorem, quam cum primum plantatum fuerat. Ad eumdem etiam modum fit in arbore mala, hoc eſt in peccatore, cum ramos illius, hoc eſt mala illius opera, præſcindere contingit: quoniam niſi radix illius evellatur, adhuc habet ſpem. Si ſenuerit radix ejus in terra, & in pulvere mortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit. Radicem hujus arboris malam voluntatem eſſe diximus. *Hac radice in terra ſeneſcente, multi ſolos ramos præſcindunt, cum ſic à peccatis abſtinent, ut peccandi voluntatem non deſerant.* Malæ voluntatis radicem retinuiſſe convincuntur, qui ad odorem aquæ ſtatim germinant ſimillima prioribus peccata. Oblata ſiquidem (& utinam non quæſita) quacumque minima occaſione, ad vitia priſtina redeunt, & ſæpiſsime plura prioribus committunt. Tales ſunt illi, qui ex ſola temporis conſuetudine, ad paucos quadrageſimæ dies vitia relinquunt, ad quæ, tranſacto ſtatim paſchate, revertuntur. Si in diuturna aliqua vitiorum abſtinentia perſiſterent, & in bonis operibus aliquamdiu perſeveraſſent, ſuſpicari merito poſſet, radicem peccati, hoc eſt malam voluntatem evulſam fuiſſe. At cum ſit ſolum biduana, aut triduana, aut ad ſummum ſemeſtris abſtinentia, credi aliud non poteſt, quam quod ramis abſciſis, radix manſit cordi infixa, quæ tam cito mala opera germinare cœpit. Præſertim quod non ſolum germinat unum aut alterum vitium, ſed facit comam quaſi cum primum plantatum fuerat, quoniam tanta vitiorum multitudine obruitur, quanta prius premebatur. Qui ergo arbori ſpem fructus auferre cupit, radicitus eam evellere oportet. Et hoc eſt quod nunc præſenti verſiculo David petit, cum ait: *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* Sanguinis nomine, in ſacra ſcriptura ſæpiſsime carnis appetitus deſignatur. Nam cum Deus eſum ſanguinis prohibet, cauſam adjungit, dicens: (*Levit.* 18.) *Vita carnis in ſanguine eſt.* Caro in ſcriptura ſacra aliquando ipſam nudam ſubſtantiam, aliquando vitium illius ſignificat. Subſtantiam ſignificavit Adam, cum Evam ex latere ejus formatam conſpiciens, dixit: (*Gen.* 2.) *Hoc nunc os ex oſſibus meis, & caro de carne mea.* Vitium carnis ſignificavit Deus, cum dixit: (*Gen.* 6.) *Non permanebit ſpiritus meus in hominibus iſtis, quia caro ſunt.* Quo contra, juſtis dicitur. *Vos in carne non eſtis, ſed in ſpiritu.* Juxta utramque ſignificationem, caro vitam habet. Vita prima eſt in conjunctione cum anima. Vita ſecunda, in exercitio vitiorum, & carnali converſatione. Sicut autem in ſanguine vita carnis eſt, ſic in appetitu pravi operis, vita conſiſtit carnalis converſationis. Funde ſanguinem, & continuo caro morietur. Tolle carnis appetitum, & ſtatim vita carnalis converſationis deerit. Si enim appetitus carnis non inſurgeret ad cibum & potum, nullus per gulam peccaret: quod ex eo facile conjici poteſt, quod cum caro faſtidit cibum aut potum, cogere illam oportet, ut bibat & comedat. Carnalis itaque appetitus, quaſi quidam ſanguis eſt, in quo vita carnalis converſationis conſiſtit. Sanguinem comedere, eſt appetitui carnis conſentire. Sanguinem ergo cujuſcumque animalis ſive de pecoribus, ſive de avibus comedere prohibemur: quia nullius hominis quamlibet juſti appetitus carnis bonus eſt, & ob hanc cauſam numquam niſi ad vitæ neceſsitatem audiendus. *Si quis vero ſanguinem comederit* (ait Dominus *Levit.* 18.) *obſirmabo faciem meam contra animam illius, & diſperdam eam de populo ſuo.* Vehementer nos terruit, ſi ad tantum comminationis tonitruum ſurdi non ſumus. Quo ſolo grave eſſe crimen innuitur, quod tanta diſtrictione divina juſtitia contra illud ſuccenditur. Non enim tam diſtrictæ prohibetur ſanguinis eſus, quia ipſe ex ſe malus ſit: quia (ut Moyſes hujus legislator, aut præco alibi ait *Gen.* 1.) *vidit Deus cuncta quæ fecerat, & erant valde bona.* Cum ergo ſanguis in ſe bonus ſit, mirum eſt, quod Deus tam ſevera comminatione á cibo noſtro ſanguinem excluſit, quem in corpore noſtro ex ipſa originali conditione incluſit. *Præſertim, cum vita animalis* (ut ipſemet ait) *in ſanguine ſit.* Ex quibus convincimus, aliquid latere in medullis hujus litteræ, quod noſtras animas paſcere poſsit. Sanguinis ergo eſus, qui tam diſtricte prohibetur, ſignificat carnis illicitam concupiſcentiam, aperto conſenſus ore in nos metipſos trajicere non debere. Eſt adhuc quiddam aliud in ſanguine, quod appetitu carnis apertiſsime convenit. Sanguis ad oculos defluens, aciem oculorum minuit, & appetitus carnis hominis intellectum hebetat, efficitque ut ſuperna & ſublimia penetrare non valeat. Propter quod Chriſtus ſervator noſter Petro divinitatem illius agnoſcenti, dixit: (*Mat.* 16.) *Caro & ſanguis non revelavit tibi, ſed pater meus qui in cœlis eſt.* Quoniam (ut ait Paulus 1. *Corinth.* 2.) *animalis homo non percipit ea quæ Dei ſunt.* Quia ergo carnalis appetitus ſanguis eſt, in quo carnalis vita conſiſtit, & unde omnia carnis vitia prodeunt, hinc eſt, quod ipſa etiam peccata, præſertim carnalia, nomine ſanguinis appellantur: quia á ſanguine, hoc eſt, carnis appetitu, cauſata. Quemadmodum linguam dicere ſolemus ſermonem illum, qui per linguam profertur. Sicut dicimus hominem aliquem plurimas noſcere linguas, & dicimus Apoſtolos hauſto cœleſti ſpiritu, pluribus linguis fuiſſe locutos, non quod membra illorum, quibus tamquam quibuſdam plectris ſonos formabant, varia & multa in eorum quolibet fuiſſe credamus: ſed quia eadem lingua diverſos vocis ſonos reddere ſciebant. Quo ergo locutionis tropo, ſermonem ipſum dicimus linguam, quia lingua factum, eo etiam appellamus ſanguinem peccatum ipſum, quod ex ſanguine ortum habet. Sic accipit Propheta Oſeas, (*cap.* 4.) cum variorum peccatorum abundantiam enarraſſet, ſubjunxit: *Sanguis ſanguinem tangit.* Quibus verbis inſinuavit, peccatum unum ex alio oriri. Cum ergo David ait: *Libera me de ſanguinibus*, & de ipſis peccatis, & de eorum cauſa & origine intelligi poteſt. Ita, ut David non ſolum à peccatis quæ commiſerat, ſed á carnis corruptione & appetitu illo carnali (qui omnium peccatorum eſt fomes) ſe liberari petat. Immortalitatem namque & incorruptionem deſiderat, qui ait: *Libera me de ſanguinibus*: quia (ut ait Apoſtolus 1. *Corinth.* 15.) *Caro & ſanguis regnum Dei non poſſidebunt*: dum ſcilicet erunt corruptioni obnoxia. Nam eo ſolo tempore, quo corruptibilia ſunt, caro & ſanguis appellantur. David ergo qui multas in ſe conſpicit iniquitates, cum eas omnes tribuat carni & ſanguini tamquam illarum omnium primævæ origini, ait: *Libera me de ſanguinibus.* Ac ſi expreſsius dixiſſet. Libera me ab iniquitatibus, libera me à carnis corruptione, quæ omnium meorum peccatorum eſt fomes & origo. Nam propter hanc cauſam dixit plurali numero, de ſanguinibus, ut innueret, in ipſo ſanguine multorum peccatorum latere radicem. Propter quod interpres etiam cum ſciret latine non dici ſanguines, maluit minus latine dicere, quam proprietatem latini ſermonis obſervans, aliquod ſcripturæ myſterium prætermittere. Cum ergo ait: *Libera me de ſanguinibus*, fomitem peccati prorſus tolli, aut vinculo divinæ gratiæ ſic coerceri poſtulat, ut ab illo non poſsit jam ad peccatum inſtigari. Facilitatem & pronitatem ad malum quo ſanguis impellit, á ſe auferri poſtulat. Peccatorum radicem à ſe auferri petit, ut tamquam avulſæ arbori omnis peccati ſpes ſit ablata. Sunt qui aliter hunc verſum interpretentur, ad Uriæ cædem, & aliorum, qui hac occaſione interfecti fuerunt, referentes; quibus ego ob hoc ſolum non aſſentio, quod cum facinus illud jam patratum eſſet, ab illo ſanguine ſemel jam fuſo, liberari minime poterat, ut fuſus non eſſet: quoniam quod ſemel factum eſt, ab omnibus irrevocabile cenſetur, perinde ac verbum ſemel prolatum. Quod ſi ad reatum ex ſanguine fuſo contractum referre contendunt, jam de illo fuerat à Deo liberatus, neque hoc latebat Davidem qui Prophetam Nathan ſibi dicentem audierat: *Dominus tranſtulit peccatum tuum à te.* Quare magis ea mihi probatur ſententia, quæ ad peccata fragilitatis humanæ, & ad illorum radicem, carnis videlicet appetitum, hanc Davidis petitionem refert. Cui ſententiæ concinit Auguſtinus, neque multum ab illa differt Gregorius. David itaque quantum ego æſtimo, in hoc verſu hoc petit, quod

Paulus ſe à Domino petiiſſe fatetur. *Datus eſt mihi*, inquit ille, (1. *Corinth.* 12.) *ſtimulus carnis meæ, qui me colaphizet: propter quod ter Dominum rogavi, ut auferretur à me.* Stimulus iſte carnis concupiſcentia eſt: quæ quia dæmone inſtigante accenditur ad tentationem, angelus ſatanæ dicitur. Ab hoc ſtimulo ſe liberari petit, qui alibi legem carnis repugnantem legi mentis deſcribens, ait: (*Rom.* 7.) *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Liberari ſe petit, quia durum & improbum ſentit in certamine laborem. Durum nimis & acerbum æſtimat, perpetuam carnis rebellionem tolerare, & bellum inteſtinum cum inviſibili hoſte inceſſanter gerere. Propter quod Dominum, qui trinus eſt Deus, ter rogavit, ut illum á ſe auferret. Verum Deus, qui non quod petimus, ſed quod nobis petentibus expedit, concedit, non exaudivit Paulum petentem, ſed ait: *Sufficit tibi gratia mea. Nam virtus in infirmitate perficitur.* Ac ſi diceret. Quid tibi expediat, ego melius te novi. Ego novi quid appoſuerim, ego qui ſcio unde ægrotes, ſcio etiam unde ſaneris. Virtus non niſi in labore & certamine probatur. Quæ in tentatione non ſuccubuit, illa vera eſt virtus. Quæ autem tentationem non novit, neque ullum umquam bellum geſsit, neſcitur an vera ſit virtus. Voluit ergo Deus hanc carnis repugnantiam nobis dare, quia irreconciliabile bellum cum anima gereret, ut perpetuam exercendæ virtutis materiam in nobiſipſis haberemus. Nam qui inimicitias ſuſtinent, cautiores eos eſſe oportet, quam qui nullis offenſi ſunt. Et civitates quæ ſunt hoſtibus finitimæ, eas bene munitas eſſe, & maxima cum diligentia cuſtodiri oportet, ne forte in direptionem tradantur, & hoſtium præda fiant. Deſtructis Carthaginenſibus, & Græcis ſubjectis, cum quidam in ſenatu dixiſſet res Romanas jam in tuto eſſe. Scipionem Naſicam reſpondiſſe (Plutarchus eſt auctor) Immo vero nunc in magno periculo ſumus, cum non habeamus quem timeamus. Ob hanc cauſam etiam, expugnata à filiis Iſrael terra promiſsionis, ſemper in medio eorum manſit Jebuſæus, qui numquam potuit extirpari, Deo ita diſponente ad exercitium filiorum Iſrael, ne forte otio torpeſcerent. (*Joſ.* 15.) Sic etiam, ut neceſsitas nos ad laborem & cautelam cogeret, Deus hoſtem ſpiritui noſtro dedit, carnem videlicet noſtram, cujus perpetuas inſidias ſemper timere oporteret. Bene ergo Deus nobis proſpexit, cum motus carnis ſpiritui repugnantes eſſe voluit: quoniam & ſi nobis negotium non parvum faceſſunt, utilitatem tamen magnam, ſi recte conſulimus, nobis afferunt. Nam hi carnis motus ſimiles ſunt canum latratibus, qui & ſi moleſti ſint, ad cautelam tamen deſerviunt, & cuſtodiam. Niſi enim latrarent, minime ab illis caveremus: quo fieret, ut morderent incautos. Latrantes ergo moleſti ſunt, ſed dum nos ad cautelam movent, tolerandi. Sic etiam carnis motus, & ſi moleſti, utiles tamen ſunt, dum nos cautos eſſe cogunt, & materia exercendæ virtutis nobis miniſtrant. Et ob hanc cauſam Deus Paulum rogantem ut ab eo auferret, non exaudivit: *quoniam virtus* (ut ait 2. *Corinth.* 12.) *in infirmitate perficitur.* Hoc ergo quod tunc Paulus petebat, nunc David petit, cum ait: *Libera me de ſanguinibus.* Verum ſicut non exaudivit Paulum, ita nec Davidem: quoniam neutrum voluit otio torpere, aut torpore deficere. Nam & ſanguis ipſe, qui ſub tam ſevera comminatione comedi prohibetur, ejuſdem Dei prohibentis teſtimonio utilis eſſe comprobatur. Nam poſtquam ſanguinis eſum prohibuit, continuo ſubjungit. (*Levit.* 13.) *Et ego dedi illum vobis ut ſuper altare meo expietis pro animabus veſtris, & ſanguis pro animæ piaculo ſit.* Ecce ſanguinis utilitatem: quoniam illius effuſio fit in ſalutem animarum noſtrarum. Sanguinem fundimus, cum á nobis omnem carnis appetitum objicimus, hoſtiam mactamus, ut ſanguis exeat, cum corpus noſtrum jejuniis, vigiliis, diſciplinis affligimus, ut à nobis carnis appetitum procul rejiciamus. Quod ſi facimus, in animæ noſtræ ſalutem cedit, & pro animæ piaculo acceptatur. Sanguis ergo qui comeſtus Deum exacerbat, fuſus animam expiat: quia ſicut iniquitatis conſenſus Deo execrabilis eſt, ſic renuntiatio placabilis. Sed quia difficile eſt ſemper appetitui repugnare, difficilimum numquam conſentire, ideo David petit ab ejus importunis & male ſuadentibus illecebris liberari, dicens: *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* Illa Dei gemina invocatio impotentiam affectus indicat. Verum quod Deum ſalutis dixit, *Chriſtum Salvatorem noſtrum, à quo omnem noſtram ſalutem pendere prophetico ſpiritu cognoſcebat, implorasſe videtur.* Nam ille eſt noſtræ ſalutis Deus, qui pro nobis in cruce moriens, ſalutem in medio terræ operatus eſt. (*Pſal.* 73.) Ille verus medicus eſt, quo totum genus humanum, male habens, egebat, ille qui ſolus ſanare poterat. Ille eſt qui dat ſalutem regibus: quoniam non ſalvatur Rex per multam virtutem, & Gigas non ſalvabitur in multitudine virtutis ſuæ. Rex eſt quiſquis bene ſeipſum & carnem ſuam regit: qui inſurgentes carnis motus cohibet, qui animæ perturbationes ſedat. Gigas eſt quiſquis fortis eſt, & nimia fortitudine adverſus carnis concupiſcentias pugnat. Sed neque Rex in multa virtute, neque Gigas in multitudine virtutis ſuæ ſalvari poteſt. Fallax etiam equus ad ſalutem. Equi nomine, quamlibet mundanam & tranſitoriam felicitatem ſignificavit. Nam equus dum ſe ipſum jactans cum arrogantia magna graditur, offendens pedibus cadit, & ſeſſorem ſuum magno cum illius periculo dejicit. Et ideo fallax dicendus eſt, quia ſeſſorem ſuum, ut jactabundus promittere videbatur cuſtodire, & tueri neſcivit. Talis eſt omnis mundana felicitas, quæ poſſeſſori ſuo nimium blandiens, illum in talem ruinam deducit, a qua nulla eſt reſurgendi ſpes: quoniam in inferno nulla eſt redemptio. Felicitas ergo mundana fallax eſt ad ſalutem, quia eam, quam dare non poteſt ſalutem promittit. Si ergo in felicitate mundana non eſt ſalus, ſi in Regis, aut Gigantis multa virtute neuter ſalvari poteſt, ubi eſt ſalus? Audi. *Ecce oculi Domini ſuper timentes eum, & in eis qui ſperant ſuper miſericordia ejus.* (*Pſal.* 32.) In Domino dicit eſſe ſalutem. Sicut etiam alibi dixit: (*Pſal.* 3.) *Domini eſt ſalus.* Quibus autem Deus impartiatur ſalutem, expreſsit eſſe timentes eum, & ſperantes in illius miſericordia. Ille ergo ſolus eſt ſalus noſtra: quoniam (ut ait Paulus *Tit.* 3.) *non ex operibus juſtitiæ quæ fecimus nos, ſed per ſuam miſericordiam ſalvos nos fecit, per lavacrum regenerationis & renovationis Spiritus Sancti, quem effudit in nos abunde per Jeſum Chriſtum Salvatorem noſtrum, ut juſtificati gratia ipſius, hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ.* Ex his colligimus, ut quamvis omnis divina perſona ſalutem nobis præſtare valeat, tamen quoniam ex ſolis Chriſti filii Dei meritis illa nobis eſt data, & omnibus in poſterum dabitur, ſolus ille inter alias divinas perſonas Deus ſalutis noſtræ dicatur. Pater quidem dat nobis ſalutem; cum eam dat filius, dat etiam Spiritus Sanctus: non tamen pater aut Spiritus Sanctus pro noſtra omnium ſalute paſſus eſt. Una eſt noſtræ ſalutis ab omnibus donatio, non tamen eſt eorum una paſsio. Hic eſt enim ille, ad quem in (*Pſal.* 139.) David ait: *Domine Deus virtus ſalutis meæ, obumbraſti ſuper caput meum in die belli.* Ille enim in cruce poſitus ſcapulis ſuis obumbravit nobis: (*Pſal.* 90.) ut æſtum

ardentis noſtræ carnalis concupiſcentiæ temperaret, & nos ob hanc cauſam ſub pennis ejus ſperavimus. Hujus itaque auxilium David nunc implorat, cum ait: *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ.* Paulus etiam cum quæreret, quis illum á corpore mortis hujus liberaret, quia nullum alium præter Chriſtum, cujus merito ſe poſſet ſalvum facere ſciebat, continuo ſubjunxit: (*Rom.* 7.) *Gratia Dei per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum.* Hujus enim meritis ſalvi facti ſumus, hujus ſanguis ſalutiferus venenatum ſanguinem noſtrum purificavit. Hujus ſanguis, nos á peccato liberavit, hujus ſanguis emundavit conſcientias noſtras ab operibus mortuis ad ſerviendum Deo viventi. (*Hebr.* 9.) Et quia hujus ſanguinis virtutem ſpiritu prophetico jam cognoſcebat David, á quo noſtram omnium ſalutem pendere ſciebat, ideo ait: *Libera me de ſanguinibus, Deus Deus ſalutis meæ, & exultabit lingua mea juſtitiam tuam.* Tuam, inquam, non meam. Quoniam ſi tu me á peccato liberaveris, & juſtum effeceris, tua erit hæc juſtitia, non mea. Tibi, inquam, imputabitur hæc juſtitia, non mihi: quoniam non ego juſtum me facere potuiſſem, ſed tu qui ſolus juſtificas impium, me juſtificaſti. Tu es qui omnia opera noſtra operatus es in nobis. Nihil in me laude dignum invenio; ſi quid in me quod merito laudetur inveniatur, illud quidem, tuum, non meum erit. Tibi ergo, á quo ſi quid boni in me eſt, proficiſcitur, totum aſcribam. Exultabit ergo merito lingua mea juſtitiam tuam. Sed quia hoc corpus quod quotidie corrumpitur aggravat animam, & terrena cogitatio deprimit intellectum, (*Sap.* 9.) ut quanta ſint hæc bona quæ á te mihi conferri puto, minime cognoſcere valeam: ideo nunc juſtitiam tuam (ut decet) laudare non potero; poſtea vero cum depoſito hoc corpore, ſpiritus meus erit oculatior, & ablato pulvere terrenarum cogitationum perſpicatius agnoſcet quanta feceris animæ meæ, tunc non ſolum lingua mea, ſed omnia oſſa mea exultando & jubilando laudabunt juſtitiam tuam, quam nobis donare digneris per merita Jeſu Chriſti filii tui, qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XXI.

Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.

QUalia fuerint Davidis labia poſt peccatum, quove ordine diſpoſita, ex hac illius petitione conjici facile poteſt: quoniam clauſa labia ſe habere fatetur, qui illa ſibi à Deo aperiri poſtulat. Negare certe non poterat ſe labia clauſa habere, qui peccatum ſuum agnoſcebat: quoniam omnium peccatorum os peccato eorum obligante aut obturante, clauſum eſſe convincitur, per illud quod Anna prophetiſſa in primo regnorum libro (*cap.* 2.) ait: Impii in tenebris conticeſcent. Sed quomodo verum eſſe poterit, ut clauſum ſit os omnium peccatorum, cum Chriſtus de Judæis ſibi conviciantibus conqueratur, dicens: (*Pſal.* 21.) *Aperuerunt ſuper me os ſuum, ſicut leo rapiens & rugiens?* Et iterum. *Os peccatoris & doloſi ſuper me apertum eſt?* Aperta quidem ſunt labia peccatorum ad maledicendum, ad obloquendum, ad murmurandum, ad detrahendum, quæ clauſa ſunt ad orandum, ad benedicendum laudandumque Deum. Illa quidem frequentiſsime faciunt, hæc autem rariſsime. Nam qualis quiſque eſt, talis eſt ejus oratio. *Et ex abundantia cordis* (ut ſumma veritas ait *Matth.* 12.) *os loquitur.* Avarus avaritiam loquitur, ſuperbus ſuperbiam exprimit, ſtultus ſtulta loquitur, prudens prudentiam. Tanta eſt verborum cum moribus connexio, ut propter hoc (Laertio teſte) Solon dixerit, orationem eſſe factorum ſimulachrum: quoniam omnis animi vis, in oratione perinde ut ſpeculo repræſentatur. Raro audies hominem illecebris nimis deditum de virtute loquentem. Ex ore boni viri, & virtutem amantis, vix audies verbum unum turpe & obſcœnum. Ex eburnea vagina raro educitur plumbeus gladius. Clauſum ergo os ad Dei laudem habere convincitur, ex cujus ore laus Dei numquam auditur. Eſto etiam laus Dei ex ore peccatoris prodeat, non tamen Deo labia peccatoris aperiente, hoc fiet, ſed dolore, aut metu, aut alia quavis neceſsitate urgente aut deſiderio, aut alio commodo alliciente. Nam aliquando ut à malis eruamur, aliquando ut votorum compotes efficiamur, divinam imploramus clementiam, immenſam illius laudamus miſericordiam, ſed non tunc Deus labia noſtra aperit, ſed timor urgens, aut ſpes blandiens. Homine ſiquidem peccante, continuo Deus ora illius obſtruit, prohibens ne Deum ore polluto laudare tentet. Et merito: *quoniam non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris.* (*Eccle.* 11.) Quæ gloria contingere poteſt alicui, propterea quod laudatur ab illo, qui non niſi turpia & vitia laudare novit? Talis autem eſt omnis peccator: quoniam ſic à natura comparatum eſt, ut ea quiſque laudet quæ amat. Quæ vero oderit, ridet, inſectatur, ſubſannat, ſcommatis afficit. Non eſt enim vero ſimile, ut aliquis id ex corde laudet quod maxime odit, aut quod ardenter diligit, quiſquam vituperet, & dedecore afficiat. Quid autem peccator amet, ipſius vita teſtatur, illius nomenclatura proclamat. Nam ideo peccator injuſtus dicitur & eſt, quia mala præfert bonis: temporalia hæc bona & caduca præponit ſempiternis illis & numquam perituris; contemptis cœleſtibus, terrena concupiſcit, ad illa anhelat, pro illis ſuſpirat. Qui ergo ſola vitia amat, hæc ſola ex animo laudabit: quo fiet, ut de vitio ſuſpectum ſit quidquid ab hujuſmodi homine commendatum fuerit. Nam (ut eſt in proverbio) furem fur cognoſcit, & lupus lupum. Contra vero, qui eſt virtutis amaſius, non poteſt ſeipſum cohibere, quin illam miris laudibus extollat, & vitia deprimat. Unde evenit, ut quidquid ille laudaverit, bonum eſſe credatur ab iis, qui laudantis mores probe agnoverunt. Nullus ergo ſeipſum in opinione cuiſquam hominis, quem aliunde non novit firmare deberet, ob hoc ſolum, quod illum laudari aut vituperari conſpicit ab homine, cujus mores nondum plene exploravit. Oportet enim primo anxie perſcrutari, quiſnam & qualis ſit ille qui laudat, & inde conjicere licebit, qualis ſit etiam ille, qui laudatur. Nam (ſicut eſt in proverbio) cicada ſemper eſt cicadæ chara, formica formicæ. Unde colligimus, ut ſicut gloria eſt à viro bono, & exploratæ virtutis commendari, ita etiam dedecus eſt non parvum ab homine ſcelerato laudari. Propter quod merito dixit Sapiens, (*Eccle.* 15.) non eſſe ſpecioſam laudem in ore peccatoris. Et hæc eſt cauſa, propter quam Deus ab ore peccatoris ſe laudari dedignatur, & peccatori, qui hoc tentare præſumit, ſuccenſet, dicens (*Pſal.* 49.) *Quare tu enarras juſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum?* Clauſum ergo os ad Dei laudem habere convincitur, qui Deum ore ſuo laudare prohibetur. Et hoc ſignificat, quod Dominus os leproſi in lege veteri claudere juſſit. (*Levit.* 13.) Cum enim leproſum ſignificare peccatorem omnibus ſit manifeſtum, quid aliud erit, quod os leproſi claudi jubetur, niſi quod peccatori dum peccato ſervit, omnis bona elocutio interdicitur, ne videlicet per labia

bia polluta tranſiens, polluatur & ipſa? Nam ſicut ſæpiſſime contingit, ut aqua optima per vitioſum canalem tranſiens, canalis malitiam imbibat, ſic etiam peccatoris os, tamquam vitiatus canalis, aut limoſus alveus, non nihil derogat divinis laudibus ab eo prodeuntibus. Propter quod peccatores ipſi, qui Dei laudem ſibi interdictam eſſe agnoſcunt, dicunt: (*Pſal.* 136.) *In ſalicibus in medio ejus ſuſpendimus organa noſtra. Quia illic interrogaverunt nos, qui captivos duxerunt nos, verba cantionum. Et qui abduxerunt nos, hymnum cantare nobis de canticis Sion. Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Salicum nomine, aliquando juſti, propter illarum perpetuam viriditatem, aliquando reprobi, propter illarum ſterilitatem, deſignantur. De juſtis namque Eſaias loquens, (*cap.* 44.) ait: *Germinabunt inter herbas ſicut ſalices juxta præterfleuntes aqaas*: juſti enim quia inter areſcentem carnalium vitam perpetua mentis viriditate perdurant, ideo inter herbas germinare dicuntur, ſicut ſalices juxta præter fluentes aquas. E contra reprobi ſalicum nomine etiam ſignificantur, cum de diabolo Dominus ad beatum Job loquens, (*cap.* 40.) ait: *Circundabunt eum ſalices torrentis.* Quia amatores ſæculi hujus, quaſi ſteriles & infructuoſi, dum voluptates hujus ſæculi amant, diabolo principi ſuo obſequuntur. Verum & ſi in bono & in malo ſalices accipi poſſint, in præſenti tamen loco, mala eſt illarum ſignificatio, ſolam bonorum ſterilitatem ſignificans. Hæ ſalices in Babylone ſunt, non in Hieruſalem, quia infructuoſi omnes, & ab amore cœleſtis patriæ alieni, totis cordis viſceribus in hac ſæculi confuſione radicantur. In ſalicibus in medio Babylonis organa ſuſpendunt, qui in amore mundi radicati, & bonis fructibus vacui, & deſtituti, Deum laudare ceſſant. Organum ſiquidem animæ noſtræ, hoc corpus eſt, quo tamquam inſtrumento anima noſtra Deum laudat. Hoc organum habet ſuſpenſum, qui linguam ſuam ad Dei laudem non movet. Sed hoc organum exiſtentes in Babylonia captivi, ſuſpendunt: quia qui in peccatorum captivitate ſunt, Deum laudare (ut decet) non poſſunt. Dæmones autem, qui captivos duxerunt peccatores in peccati confuſionem, derident eos, & inſultant illis, ſuadentes, & dicentes: *Cantate ſicut ſolebatis, laudate ſicut cum in Hieruſalem eratis, ſacere vobis erat ſolitum.* Sed his nos miſeri gementes reſpondebimus. *Quomodo cantabimus canticum Domini in terra aliena?* Magis certe plorare quam cantare, peccatorem decet. Qui à Hieruſalem in Babylonem cecidit, qui inter vitia & peccata á dæmone captivus vitam ſuam degit, non debet cantare & Deum laudare, ſed peccata ſua deplorare. Si ergo non poſſunt peccatores cantare, plorent. *Illic* (inquit) *ſedimus & flevimus.* Ploremus ergo uberrime, ut lachrymarum noſtrarum inundatio flumina Babylonis ſuperet. Suſpenſa ſunt enim organa noſtra, defecit vox gaudii & lætitiæ, & non poſſumus cantare canticum Domini in terra aliena conſtituti. Aliena enim eſt à Deo terra vitiorum, terra voluptatum: ſicut ipſemet teſtatus eſt, dicens: (*Joan.* 28.) *Regnum meum non eſt de hoc mundo.* In hac terra exiſtentes, tamquam multis malis gravatos, cantica lætitiæ non decent, ſed luctus & lachrymæ, & tunc merito cum Job dicere poterunt: (*cap.* 30.) *Verſa eſt in luctum cithara noſtra, & organum meum in vocem flentium.* Qui ergo digne, ut decet, Deum laudare debet, à peccati captivitate eum prius liberari oportet: quoniam in Hieruſalem laudatur Deus, non in Babylone. Juſtum oportet eſſe & ſanctum, qui ſanctum ſanctorum laudare debet: *quoniam rectos decet collaudatio.* (*Pſal.* 32.) Quid exigatur á peccatore, ut dignas Deo laudes perſolvat, Hieremias expreſsit, dicens: (*Thr.* 2.) *Conſurge, lauda in nocte in principio vigiliarum tuarum.* Prius ſomnum excutere admonet, quoniam non in ſomno, ſed in vigilia Deus laudatur. Si is qui eſt obnoxius peccato, dormire dicitur: *eodem jure etiam is, qui peccato abſtinet, vigilare cenſendus erit.* Tunc vigilare incipit, quando mala quæ fecit, agnoſcit. Cum vero jam ab illis abſtinet & pœnitendo corrigit, jam oculos aperit. Cum autem ad bona agenda ſe jam extendit, tunc ſomnum protinus excuſsit. Conſurge ergo, & lauda Deum in principio vigiliarum tuarum. Cum primum vigilare inceperis, tunc Deum laudare teneris, qui te á tam alto ſomno excitavit. Prius tamen vigilare, quam laudare oportet. Sed quia non eſt liberum dormienti excitari cum libuerit, Deum prius orare convenit, & illum obnixe precari, ut nos á peccati ſomno excitare dignetur, ut poſtea excitati, illum digne laudare valeamus. Et hunc laudationis ordinem nobis præſcribit Propheta Oſeas, (*cap.* 14.) cum ait: *Tollite vobiſcum verba, & revertimini ad Dominum, & dicite ei. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum, & reddemus vitulos labiorum noſtrorum.* Revertantur ergo peccatores, qui multis modis aberraverunt, ad eum, qui ſolus tollit peccata mundi, qui pro noſtris peccatis dignatus eſt in ara crucis ſanguinem ſuum fundere, & dicamus illi. Aufer á nobis omnem iniquitatem. Gratis ne? Et accipe bonum. Quod bonum? *Reddemus* (inquit) *vitulos labiorum noſtrorum.* Agemus gratias tuæ miſericordiæ cui nos debere fatebimur, quod á peccati miſeranda captivitate eruti ſumus. Auferes à nobis quod noſtrum eſt, & accipies á nobis quod tuum eſt: quoniam tua eſt laus, tibi ſoli debetur honor & gloria. Tu enim ſolus bonus es, & ideo tu ſolus laude dignus. Et huic ſententiæ concinit nunc David, qui ait: *Domine labia mea aperies, & os meum annuntiabit laudem tuam.* Qui ſuperius triplicem ſpiritum petiit, ut recte vias Dei docere poſsit, nunc etiam ut digne Deum laudare valeat, labia ſua à Deo aperiri poſtulat, quæ ad Dei laudem per peccatum clauſa eſſe noverat. Aperiuntur autem labia noſtra á Deo, cum remittit culpam, & gratiam infundit. Tunc enim gratia Dei recepta, liberum eſt homini Deum laudare, & tunc laudes ab illo decantatas Deus gratanter accipit, quas antea dedignabatur. Quapropter deſcribens qualiter filii Iſrael, poſt triumphum illum nobilem, quem Pharaone & cæteris Ægyptiis in mare ſummerſis habuerunt, Deum laudare cœperunt, ait: (*Sapi.* 10.) *Sapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.* Muti erant ad Dei laudes in Ægypto, nec Deum cœli, Pharaone vetante, laudare ſinebantur: quoniam peccato os peccatoris obturante, mutus in Dei laude peccator efficitur. Sed Pharaone & reliquis Ægyptiis in mare ſubmerſis, laudes Deo cantare incipiunt: quia peccatis omnibus in pœnitentia (quæ amarum eſt mare) ſuffocatis, tunc jam liberum eſt illis, Dei majeſtatem & potentiam laudibus extollere. Sed quia hæc laudandi facultas à ſolo Deo nobis data eſt, cujus virtute hoſtes demerſi ſunt, ideo ſapiens cauſam reddens, quo pacto Deum laudare potuerint, qui per tot retroactos annos muti fuerant, dixit: *Quoniam ſapientia aperuit os mutorum, & linguas infantium fecit diſertas.* (*Sapi.* 10.) Deus ergo, á quo ſolo virtutem digne illum laudandi accipimus, eſt qui ſolus nobis, poſtquam peccavimus, labia aperit, ut illum digne laudare valeamus. Sed quia non aperit labia, niſi cui peccata remittit, hinc eſt, quod prius petiit ſe á ſanguinibus liberari, & continuo quid inde ſequatur adjunxit, dicens: *Domine labia mea aperies.* Quibus verbis innuit, liberationem á pec-

cato eſſe clavem, qua labia ſua, quæ hactenus clauſula tenebat, aperire poſſent. Cum ergo ait: *Domine labia mea aperies*: quod lucrum ex remiſsione ſui peccati oriatur, oſtendit. Forte David cum amore Bethſabee captus tenebatur, cantica aliqua in laudem illius edidit, ſicut mos eſt mulierculartum amatoribus, & ideo ait: *Os meum annuntiabit laudem tuam.* Tuam, inquam, non mulieris illius, quæ me ſua fallaci & vana pulchritudine decepit. Illam enim libentius nunc & juſtius vituperarem; quippe quæ tanti peccati fuit caput & origo, quæ mihi mellita venena propinavit, qua tamquam fortiſsimo telo, contra me dæmon pugnavit. Melius mihi fuiſſet luminibus orbari, quam eam inſpexiſſe. Utinam tam honeſta, quam pulchra fuiſſet. Pugnaſſet utique honeſtate ſua, & peccati vias præcluſiſſet. Si reſtitiſſet illa, deſtitiſſem forſitan ego, ſicque obviatum eſſet peccato. Quam grata mihi tunc fuit conſentiens, tam ingrata eſt mihi, eo quod non diſſenſit. Quid ergo nunc laudabo in tanta fragilitate, inconſtantia, inhoneſtate? Verum nolo longius in illam invehi, ne hac occaſione, á tuarum laudum præconio ceſſem. Nam ad hoc ſolum, peccato dimiſſo, labia mihi aperiri poſtulo, ut os meum annuntiet laudem tuam. Tuam (inquam) non cujuſquam alterius hominis: quoniam ille ſi laudandus eſſet (quod maxime diffiteor) poſt hujus vitæ conſummationem laudandus venit, cum videlicet peracto certamine, victor ex arena diſceſſerit. Eſto, homo laude dignus ſit, laus tamen illius nihil mihi prodeſſe poteſt, obeſſe autem multum. At laus Dei multum nobis proficit: quoniam impedit, ne in peccatum præcipites ruamus. Sic enim Dominus per Eſaiam (*cap.* 4.) promittit, dicens: *Laude mea infrænabo te, ne intereas.* Quibus verbis ſatis aperte innuit, hoc præſtare laudem Dei nobis, quod frænum equo. Fræno autem coercetur equus, ne quocumque libuerit, currat. Et qui in laudibus Dei exercetur, quaſi infrænatus cohibetur, ne ſe in vitiorum præcipitia dedat. Et ob hanc cauſam David ait: *Os meum annuntiabit laudem tuam.* Tuam (inquam) non meam: quoniam te aperiente labia mea, ex ore meo laus mea prodire non poterit. Non enim tu mutorum ora aperis ad peccatum, ſed ad juſtitiam. At ſeipſum ore proprio laudare iniquitas eſt maxima, teſte beato Job, qui (*cap.* 31.) ait: *Si oſculatus ſum manum meam ore meo, quæ iniquitas eſt maxima, & negatio contra Deum altiſsimum.* Per manum, operatio, per os, locutio deſignatur: quoniam manu operamur, ore autem loquimur. Manum ergo ſuam ore proprio oſculari, eſt opera ſua ore proprio laudare: quoniam oſculum in ſignum amoris infigitur. Manum ſuam oſculatur, qui ſuis operibus afficitur. Quæ autem amat, vix fieri poteſt, ut ea non laudet. Sed hoc iniquitatem eſſe maximam dicit Job, *& negationem contra Deum altiſsimum.* Negare namque Deum videtur, qui de bonis operibus quæ fecit, gloriam, quam Deo reddere debuiſſet, ſibi tribuit. Et hæc eſt iniquitas maxima, ſcilicet, non agnoſcere beneficium. Propter hoc ergo David nullius alterius laudem ſe annuntiaturum ſpondet, quam Dei, á quo quicquid boni eſt, proficiſci non dubitat, dicens: *Os meum annuntiabit laudem tuam.* Te ſolum laudabo: quoniam ſicut tu ſolus bonus es, ita ſolus laude dignus. Nihil eſt in homine aut quavis alia re quod laude dignum ſit, niſi quod tuum eſt. Te decet laus, te decet hymnus, & ideo os meum annuntiabit laudem tuam. Sed quam ſis annuntiaturus laudem, dic jam David: *Quoniam melior eſt* (inquit *Pſal.* 62.) *miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.* De præmio, quod ſanctis ſuis daturus eſt Deus, illum laudaſſe videtur. Nam præmium illud, hic miſericordiam dixit; quoniam in illo ſolo eſt omnis divinæ erga nos miſericordiæ conſummatio. Parum certe prodeſſet quod conditi ſumus, quod nobis totum hunc viſibilem mundum condidit, quod pro nobis homo fieri voluit, pro nobis vagivit, eſurivit, ſitivit, laſſatus eſt, mortem denique pro nobis ſubire dignatus eſt, niſi etiam ſua clara viſione bearet. Illud ergo præmium, quod ſuis ſanctis daturus eſt Deus, cum ſit totius miſericordiæ finis, & in quem tamquam in ſcopum, reliquiæ omnes miſericordiæ tendunt, merito hic appellat miſericordiam. Et hanc dicit excedere omnem hujus mundi vitam quamlibet felicem. *Melior eſt* (inquit *Pſal.* 62.) *miſericordia tua ſuper vitas.* Vitas dixit plurali numero, propter varia vitæ genera, aut vivendi modos. Alius vivit ex equeſtri militia, alius ex ruſticatione, alius ex mercatura, alius ex literatura. Sit tamen quamtumlibet felix aliquis eorum vivendi modus, non eſt tamen vel de longinquo cum beata illa & perenni vita conferendus. Ideo ait: *Quoniam melior eſt miſericordia tua ſuper vitas, labia mea laudabunt te.* Numquam à tuarum laudum præconio ceſſabo. Propter illud ſine pretio pretiabile præmium, quod præparaſti diligentibſis te, quod melior eſt, quam quævis hujus mundi vita, Hæc enim vita turbationem habet, illa quietem. Hæc triſtitiam, illa lætitiam. Hæc morbis plurimis eſt ſubjecta, illa omni morbo carens, perpetua ſalute fruitur. Hæc ſæpe bellorum tumultus experitur, illa gaudet pace perpetua. Hæc denique ſemper eſt cum timore, illa ſecura ſtatione perpetuo firmatur: quoniam vita hæc, morte finitur, illa autem finem neſcit, ſed vita eſt ſempiterna. Ut ergo te perpetuo laudare valeam, precor te, ut mihi vitam illam tribuas, per merita Jeſu Chriſti filii tui. Qui tecum & cum Spiritu Sancto vivit & regnat in ſæcula ſæculorum. Amen.

HOMILIA XXII.

Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium dediſſem utique, holocauſtis non delectaberis.

QUoniam ſolam laudem Deo ſe pro peccatis ſuis David oblaturum ſpoponderat, ob quam cauſam in avaritiæ ſuſpitionem apud aliquos forte venire poterat, quod ſolum verbis, & non ſacrificiis aut victimis Deum placare voluerit, ut hanc ſuſpitionem propelleret, cauſam cur non etiam ſacrificia promiſerit, aperit, dicens: *Quoniam ſi voluiſſes ſacrificium, dediſſem utique; holocauſtis non delectaberis.* Ac ſi diceret: Parum mihi fuiſſet qui Rex ſum, & opimis cenſibus dives, centenos arietes aut vitulos tibi offerre, ut peccatum meum expiarem. Verum quia optime ſcio minime tibi hujuſmodi ſacrificia placere, neque per illa ſacrificia peccata mea poſſe expiari, illa tibi offere contempſi. Quibus verbis, veteris legis ſacrificia eſſe prorſus inutilia, aperte ſatis declaravit. Illorum ſacrificiorum inutilitas inde convincitur, quod nec Deo, nec hominibus proderant. Nam quo pacto prodeſſe poterant Deo, quem omnes creaturæ aperto ore fatentur noſtris bonis non indigere? Si enim ille creatura aliqua indigeret, infinitus non eſſet. Si aliquod emolumentum ex creatura aliqua capere poſſet, fieret inde, ut non eſſet neceſſarium & æternum quicquid in Deo eſſet. At ſi neceſſarium non eſt & æternum quicquid in Deo eſt, oportet ut Deus mutabilis ſit, cum illi aliquid advenire poſsit. Deus autem mutabilis non eſt. Neceſſarium ergo eſt quicquid in illo eſt, & æternum, perinde atque ille. Si neceſſarium

eſt & æternum quicquid in ſe continet Deus, conſequens eſt, ut nullam utilitatem ex omnibus creaturis capere poſſit, cum illæ contingentes ſint, & temporariæ. Et hæc eſt una & non infima cauſa, propter quam veteris legis ſacrificia rejecit Deus, ne forte in hunc errorem homines inducerentur, ut putarent Deum hujuſmodi animalibus, quæ ſacrificabantur, indigere, cum viderent illum talia á nobis exigere. Hoc enim in (*Pſal.* 49.) ipſemet aperuit, in quo veteris legis ſacrificia ſpernens, ait: *Non accipiam de domo tua vitulos, neque de gregibus tuis hircos. Quoniam meæ ſunt omnes feræ ſylvarum, jumenta in montibus, & boves. Cognovi omnia volatilia cœli, & pulchritudo agri mecum eſt. Si eſuriero, non dicam tibi.* Ac ſi aperte diceret: Si aliquare indigerem (indigentiam ſiquidem hic appellavit eſuriem) tu indigentiam talem ſupplere non poſſes. Ut autem oſtenderet ſe nullo egere, ſubjunxit: *Meus eſt enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Numquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo.*? Vides qualiter ſacrificia illa ſpernit Deus, tamquam quæ in nullam ſui utilitatem cedere poterant? Sed neque homini ad illius animæ ſalutem ullo pacto proficiebant: quoniam nec peccatum expiabant, nec gratiam, niſi bono offerentis affectu interveniente, promereri poterant. Sacrificia non poſſe mederi peccatis, teſtatur beatus Paulus in ea, quæ eſt ad Hebræos, epiſtola (*cap.* 10.) dicens: *Impoſsibile eſt enim ſanguine taurorum & hircorum auferri peccata.* Ideo ingrediens mundum dicit: (*Pſal.* 39.) *Hoſtiam & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi. Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi, ecce venio.* Non eſt certe poſsibile ſanguinem taurorum aut hircorum aut cæterorum animalium aliquid efficere in anima peccatoris ad peccatorum abolitionem: quoniam fieri nequit, ut res corporea, qualis eſt ſanguis taurorum & hircorum, in anima hominis, quæ ſpiritus eſt, reali (ut ita loquar) operatione aliquid efficere poſsit. Eſto, etiam ſanguis in animam aliquid poſsit operari, non tamen eo uſque pertinget, ut peccatum delere poſsit. Nam cum peccatum (juxta omnium fere Theologorum ſententiam) nihil aliud ſit poſt elapſum peccati actum, præter obligationem ad mortem æternam ſubeundam, conſequens eſt, ut is merito peccatum delere dicatur, qui ab hujuſmodi mortis ſententia liberaverit peccatorem. Nullus autem peccatorem ab hac mortis ſententia eripere poteſt, niſi qui ſententiam ſemel latam infringere poteſt, aut is, qui præcibus ſuis judicem ad miſericordiam flectere valeat, aut qui Deo propter peccati offenſam poteſt ſatisfacere. At cum nihil horum ſanguis animalium præſtare poſsit, ſit, ut neque peccatum delere, aut expiare valeat. Nam horum primum, ſoli Deo convenire poteſt: quoniam cum ille ſuperiorem neſciat, non eſt qui ſententiam ab eo latam infringere valeat. Sicut enim ille ſolus damnare poteſt ad mortem, ita ſolus poteſt revocare ad vitam. (*Deuter.* 13.) *Ille ſolus eſt qui occidit, ſolus qui vivere facit.* Alterum, ſolus Chriſtus homo efficere poteſt: quoniam cum hic ſolus Dei amicus ex hominibus inventus fuerit, ſolus ex hominibus in quo ſibi bene complacuit: (*Matth.* 17.) ſolus etiam hic pro aliis intercedere potuit. *Solus hic eſt, quem* (ut ait Palus *Rom.* 5.) *propoſuit Deus propitiatorem per fidem in ſanguine ipſius.* Aliud etiam, videlicet pro culpa ſatisfacere, ſanguinis animalium præſtare non potuit: quoniam cum hic minimæ ſit virtutis, pro tanto debito ſatisfacere non valebat. Nam debitum ex culpa lethali contractum, infinitum hac ratione eſſe conſtat, quod pœnæ æternæ eſt deputatus, qui lethaliter peccat. Fieri ergo non poterat, ut ſanguis animalium pro debito infinito ſatisfaceret. Propter quod Deus irridens Judæos, qui peccantes putabant ſe hujuſmodi ſacrificiis mundari, ait: (*Hiere.* 11.) *Numquid carnes ſanctæ auferent à te malitias tuas in quibus gloriata es*? Veteris ergo legis ſacrificia peccata delere non poterant, neque animas juſtificare. Quod autem Paulus de iis loquens (*Galat.* 3.) ait: *Qui fecerit ea, vivet in eis*, non de ſpirituali vita intelligendum eſt, quaſi per illa ſacrificia acquireretur gratia, quæ vita eſt animæ, ſed de corporali vita eſt intelligendum, ita, ut is, qui juxta legis cæremonias ſacrificabat, corporis vitam habuiſſe dicatur: quoniam mortem evadebat, quam qui non ſacrificabat, ſubire ex lege tenebatur. Alioqui ſi data eſſet lex quæ poſſet vivificare, ex lege eſſet juſtitia. Si enim lex quæ per Moyſen data eſt, poſſet homines ab interna morte, quam propter primorum parentum peccatum & ſuum incurrerant, liberare, tunc ſine dubio, veram juſtitiam lex ipſa poſſet conferre, per quam homines regno cœlorum efficerentur idonei. At ſi ex lege eſſet juſtitia (ut optime beatus Paulus argumentatur *Galat.* 2.) *Chriſtus gratis mortuus eſſet*, hoc eſt, ſine ulla cauſa & abſque ulla utilitate, cum ſine morte Chriſti lex juſtificare potuiſſet. Sed nullus eſt tam impudens, ut aſſerat Chriſtum fruſtra eſſe mortuum; fateatur ergo neceſſe eſt, legem non potuiſſe homines juſtificare. Et quia ſacrificia illa inutilia erant, quippe quæ nec homines juſtificare, nec peccatum expiare valebant, ideo filius Dei homo factus, pro nobis ſacrificium in ara crucis fieri dignatus eſt. Et hoc eſt, quod Paulus ſupra ex libro Pſalmorum ſub Chriſti nomine dictum, interpretatus eſt. *Holocauſtomata & pro peccato non tibi placuerunt. Tunc dixi. Ecce venio.* Quia enim viderat illa veteris legis ſacrificia Deo non eſſe placita, nec Deum illis ſacrificiis poſſe placari, ſeipſum in corpore aſſumpto obtulit, ut inde ſacrificium fieret, quo Deum facilius placare poſſet. Et ut hoc inſigne & illuſtre ſacrificium prænuntiarent & figurarent, data ſunt illa veteris legis ſacrificia. Nam illa ſacrificia figuræ, & umbræ, & quaſi quædam hujus ſacrificii promiſsiones erant. Omnia enim animalia, quorum ſanguine emundationes fiebant, Chriſti figuram geſſerunt, cujus ſanguine omnes mundati ſumus ab omnibus peccatis noſtris. E quibus (ut reliqua omnia prætercam) unum ſolum in exemplum adducam, quod Chriſti figuram cæteris omnibus multo clarius expreſsit. Vacca ſcilicet, quæ comburebatur, ut ex ea ſacrificium fieret, quo purificaretur is, qui aliqua legis immunditia inquinatus fuiſſet. *Præcipe* (inquit *Num.* 19.) *filiis Iſrael, ut adducant ad te vaccam ruffam ætatis integræ, in qua nulla ſit macula, nec portaverit jugum: tradetiſque eam Eleazaro Sacerdoti, qui eductam extra caſtra, immolabit in conſpectu omnium, & tingens digitum in ſanguine ejus, aſperget contra fores tabernaculi ſeptem vicibus, comburetque eam cunctis videntibus, tam pelle & carnibus ejus, quam ſanguine & fimo flammæ traditis. Lignum quoque cedrinum & hiſſopum coccumque bis tinctum Sacerdos mittet in flammam quæ vaccam vorat.* Hæc in lege veteri fiebant ad emundationem carnis, & figurant ea, quæ in lege gratiæ, ſanguis Chriſti in animabus fidelium operatur. Vacca hæc, humanitatem Chriſti ſignificat, quæ merito ſexu fœmineo vacca & non bos nominatur, propter ejus fragilitatem & infirmitatem: quoniam juxta hanc (ut ait Paulus) *Chriſtus mortuus eſt.* Ruffa dicitur: *propter colorem, quo infecta fuit caro ipſius, ſanguine ſuo tincta.* Ætatis integræ eſſe præcipitur, & Chriſtus triginta trium annorum vel paullo amplius erat quando affixus fuit cruci. Hæc Chriſti humanitas nullam habuit maculam iniquitatis, neque ul-

ullum portavit peccati jugum. Vacca illa tunc immolanda extra caſtra duci jubebatur, & Chriſtum crucifigendum eduxerunt extra portas civitatis Hieroſolymæ. In quem locum ipſe lubens exivit, ut nos à converſatione mundi quaſi à civitate ſecum abduceret. Ibidem vaccam immolabant in conſpectu omnium, & Chriſtum in oculis ſolis hujus crucifixerunt, videntibus omnibus. Nam crucifixus fuit in meridie, & die ſolemni, videlicet paſchate, quo mors illius celebrior eſſet, & á pluribus conſpici poſſet. Eleazar Sacerdos, qui tingens ſanguine vaccæ digitum, aſpergit ſepties contra fores tabernaculi, veros novi teſtamenti Sacerdotes deſignat, qui Chriſti paſsi veſtigia ſequentes, illiuſque paſsionem imitari cupientes, alios de vera fide inſtruunt, ut Dei filium vere pro nobis in cruce paſſum fuiſſe firmiter credant. Nam ſi tabernaculum figurat Eccleſiam hanc militantem, fores tabernaculi fidem merito ſignificabunt, per quam in Eccleſiam intramus. Quod autem ſepties aſpergi jubetur, ſeptiformis ſpiritus gratia denotatur, qua fidem recipienti promittitur. *Qui credit in me* (inquit veritas *Joan.* 3.) *flumina de ejus ventre fluent.* Ut autem nobis dubitare non liceret de quibus fluminibus fuiſſet locutus, continuo poſt Joannes Evangeliſta interpretatus eſt, dicens: *Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum.* Sed hæc vacca immolata, ut cunctis videntibus comburatur, præcipitur, nec ſolum caro ipſius & pellis, ſed ſanguis illius & fimus flammæ tradi jubetur. Quibus verbis admonemur, ut omnia, quæ de hujus vaccæ immolatione dicta ſunt, ad ſpiritualem intelligentiam referamus, ut profectum aliquem inde capere poſsimus. Quod enim crematur, conſumitur, & in ignem vertitur. Cremari ergo hæc omnia jubentur, quia conſumpto litteræ cortice, qui nullius ferme eſt valoris, ad ſpiritualem intelligentiam illa omnia convertere debemus. Ignis enim Spiritum Sanctum deſignat, quapropter littera tunc cremari igne dicetur, quoniam juxta ſpiritualem intellectum declaratur. Pellis exteriorem Chriſti converſationem ſignificat, ſanguis, interiorem. Fimus paſsiones & ignominias illius denotat: quod videlicet eſurivit, ſitivit, , laſſatus eſt, vagivit, flevit, quod opprobium hominum & abjectio plebis factus eſt. Hæc omnia per fimum abjectiſsimum merito ſignificari poſſunt. Sed hæc omnia, igne cremari jubentur, quia hæc omnia, quæ Chriſtus in ſuo corpore geſsit, per latentem in eo divinitatis ſpiritum fuiſſe diſpoſita, credere tenemur. Nihil enim fuit in Chriſto tam abjectum & contemptibile, quod ſi ſpiritualiter intelligatur, non ſit excelſum & glorioſum. In flammam, quæ vaccam vorabat, mitti jubentur hyſſopus, lignum cedrinum, & coccus bis tinctus. Hyſſopus interiora corporis purificans, fidem denotat, quæ (juxta beati Petri teſtimonium *Act.* 15.) *corda purificare novit.* Lignum cedrinum, quod in altum ſe tollit, ſignificat ſpem, quæ ad ſola cœleſtia erigenda eſt. Coccus bis tinctus, ignea charitas eſt quæ duplici amore, Dei ſcilicet & proximi, tingitur. Hyſſopum in vaccæ ſacrificia mittit, qui Deum pro nobis fuiſſe paſſum firmiter credit. Lignum cedrinum mittit, qui in ſolo dominicæ paſsionis merito, omnem ſuam ſpem collocat. Coccum bis tinctum apponit, qui propter tam immenſum beneficium, Deum (ut decet) amat, & proximos ſuos diligit, etiam inimicos: Chriſtum imitatus, qui pro nobis inimicis mori dignatus eſt. Hujus vaccæ immolatæ cineres miſcebantur aqua, quæ dicebatur aqua expiationis, quia per illius aquæ aſperſionem, purificabatur qui immundus erat. Et Chriſto mortuo, ex ejus latere fluxit aqua, quæ gratiam ſacramentorum deſignat, per quam omne peccatum expiatur. Hoc igitur verum fuit ſacrificium, Chriſti ſcilicet, innocentis paſsio. Nam hoc, Deo maxime placuit, hoc Deus placatus eſt. Hoc noſtra peccata delevit, hoc nos juſtificavit. Hoc ſacrificium Chriſtus Deo patri pro nobis offerre dignatus eſt, quia vidit omnia veteris legis ſacrificia eſſe prorſus inutilia, quippe quæ ſpirituali hominum ſaluti nulla ex parte prodeſſe valebant. Quod ſi illa hominis peccato mederi potuiſſent, mors Chriſti non fuiſſet neceſſaria, quo fieret, ut (quemadmodum Paulus colligit) *Chriſtus fruſtra & ſine cauſa mortuus cenſeretur.* Non enim fuiſſet opus Chriſtum mori, ſi lex hominem peccato mortuum ſuſcitare potuiſſet. Si baculus Heliſæi (4. *Reg.* 4.) potuiſſet contactu ſuo filium viduæ defunctum ſuſcitare, ipſe Heliſæus non veniſſet. Quia vero puer Heliſæi miſſus cum baculo non valuit defunctum puerum ſuſcitare, ipſe Heliſæus venire dignatus eſt, ſeque ſuper mortuum ſternens, atque ad illius membra ſe colligens, huc illucque deambulans, & in ore mortui aſpirans, illum ad redivivam lucem protinus animavit. Puer mortuus, humani generis in morte peccati jacentis, figuram gerit. Puer cum baculo ſequitur, quia Chriſtus poſt Moyſen & legem venit. Sed puer cum baculo ſuſcitare mortuum non valuit: quia (juxta Pauli ſententiam *Hebr.* 10.) lex ad perfectum neminem perduxit. Heliſæus autem poſtea veniens ſuſcitavit puerum, quia Chriſtus in fine legis incarnatus apparens, humanum genus ab æterna morte ſuſcitavit. Non veniſſet Heliſæus, ſi illius baculus puerum ſuſcitare valuiſſet, nec veniſſet etiam Chriſtus, ſi lex vivificare, aut peccata delere potuiſſet. Chriſti ergo incarnatio & paſsio, veteris legis ſacrificia inutilia fuiſſe convincunt. Et ob hanc cauſam, vero ſacrificio præſtito, fuerunt merito reprobata. Quoniam cum omnia illa nil aliud eſſent quam umbræ quædam & promiſsiones futuri ſacrificii, neceſſarium fuit, ut ſuccedente luce, umbræ decederent, & promiſsionis obligatio ceſſaret. Qui enim aliquid promittit, ſemper promiſsionis obligatione conſtringitur, donec ſatis promiſsioni fecerit; cum autem quod promiſerat dederit, nulla eſt jam illius promiſsio. Nam & verba mutat, quibus loqui conſueverat: quoniam non dicit, dabo, quod antea ſe daturum dicebat, ſed dicit, dedi. Ad hunc modum, illa veteris legis ſacrificia tamquam verba promiſsiva ablata ſunt, quia exhibita eſt veritas promiſſa, ideſt, ſacrificium Chriſti, quod per ea promittebatur. Et hæc eſt cauſa, propter quam cum illa Deus prius juſſerit, poſtea prohibuerit. Ex his proſternuntur Ebion & Cherintus, qui homines ad veteris legis cœremonias & ſacrificia cogere volebant, dicentes legem Moyſi non eſſe Chriſti morte abrogatam, ſed potius confirmatam. Hos enim nunc ſpiritu prophetico redarguit David, quum aſſerit Deum illis ſacrificiis non delectari. *Quoniam ſi voluiſſes* (inquit) *ſacrificium, dediſſem utique; holocauſtis non delectaberis.* Verum hic percontari libet, ſi illa veteris legis ſacrificia inutilia erant, cur Deus ea præcepit? Si nec peccata delere, nec animam juſtificare, nec Deum placare poterant, cur illa ſibi immolari juſsit? Numquid gratis & ſine cauſa id fecit? Abſit, ut Deum ſine cauſa aliquid feciſſe dicamus, quem omnia maximo cum judicio diſponere & regere ſcimus. Duplici ex cauſa Deum illa ſacrificia mandaſſe, ſanctorum auctoritas tradit. Una, ut Judæos ab idololatria, ad quam proni erant, quam & in Ægypto didicerant, avocaret. Videns enim Deus illos ad ſacrificia pronos, ne illa idolis offerrent, quemadmodum gentes facere videbant, Deus pientiſsimus illis ſe attemperare voluit, & præcepit, ut ſacrificia illi offerrent. Et

hanc